



- 1 Baumgarten s. Sigm. Jac. s. meditatio-  
nes quardam de Genuina et Spuria  
edificatione spirituali Mediorum illius  
legitimis et illegitimis, Halle, 1747.
- 2 Brunings s. Christ. s. diff. de Christo  
triumphante, Heidelberg 1747.
- 3 Clossen s. dieu. Sigm. s. diff. de Opere  
dei miraculoso, Gratioso et Glorioso  
in sanctis rediivis demonstrato,  
Francof. 1726.
- 4 Clauswitz s. Bened. Gottl. s. diff. de  
Spiritu Sancto Annabone, Halle, 1747.

5. Crüger / J. Theod. / Diff. de eo quod iustum  
est circa morem se devovendi pro salute  
alterius, Wittenbergo, 1724.
6. Fehmel / Joh. Salom. / Diff. in Locum Rom.  
IX. vi 28. Lipsiæ 1747.
7. Fleßa / Joh. Ad. / observationes  
variae theologico-philosophicæ.  
Altonæ 1747.
8. Forbiger / Chr. Sam. / swift forbigung  
sinnr. bfr. am dr. drey ring. lrt,  
Leipzig 1747.
9. programma Academiae fridericiand  
in diem natalem Jesu Christi,  
1747.
10. ————— in festum paschator  
1747.
11. programma Academiae Goettin  
gensis in festum pentecostes,  
1747.
12. Georgij / Chr. Sigism. / Diff. de  
gratuita Operariorum, in vineam  
Christi vocatorum, mercede, Witten.  
Bergo, 1745.
14. ————— de Regno Dei in Ara  
Crucis mactato, Wittenbergo 1747.
15. ————— de resurrectione Jesu  
Christi, Wittenbergo, 1747.
- + 13. ————— Diff. de Crimine Nazid.  
Wittenbergo, 1746.

- 16 Heberstreit / Joh. Chr. / diff. De Naturae  
Aquila Lipsiae, 1797.
- 17 Heumann / Christoph. Aug. / diff. De  
Vocatione Divina ad Ministerium Eccl.  
Pastoricum, Goettingae, 1797.
- 18 Hurmann / Gustav Christoph. / Exer.  
citationes exegeticae, Kiliae, 1796.
- 19 Jablonski / Pauli Ernesto / diff. De  
insufficiencia sacrificiorum in Veteri  
et Sufficiencia Sacrificij Christi  
in novo Testamento, Francof. 1725.  
פירוש על פסוקי תנ"ך, 1727,  
Francofurti 1727.

- 21 Lasius / Herm. Jac. / diff. De  
poenitentia Deo adferta, Gry.  
phirwaldid, 1797.
- 22 Programmata Academiae Lipsiensis  
in memoriam Christi redivivi,  
1797.
- 23 Michaelis / Joh. Georgij / diff. De  
Janne et Jambre sanctorum Aegyptiorum  
Magis, Halle, 1797.

- 24 Olearius J. Benj. Christoph / sur  
 dem newigen in theologen für dan  
 wüßl zölßten im resign. Obn  
 jena, 1747.
- 25 Overkamp J. Georg Wilh. / diff. in  
 pericopam Evangelicam Matth. XXI,  
 v. 1-4. Gryphirwaldd, 1747.
- 26 Pfaff J. Christoph. Matth. diff. Num.  
 ex verbis Paulinis: quis te discernit.  
 predestinatio absoluta exculpa  
 possit. Tubinge, 1746.
- 27 ——— de precibus Christi  
 pro Crucifixoribus suis factis, tubinge,  
 1746.
- 28 ——— de poena temporali  
 post remissionem Culpa non luenda,  
 tubinge, 1746,
- 29 ——— de poenis divinis, ob  
 aliena peccata inflictis, tubinge  
 1747.
- 30 ~~27~~ programma Rosdochenfis  
 paschale, nem vser zölßten.  
 1747.
- 31 Sperbach J. Cur. Gott. / diff. de  
 judaïs, ob iesum crucifixum,  
 crucifizendis, nec tamen ad eum  
 convertendis, Wittenberge 1747.

32. Bauer s. Frid. Em. / Diff. de Canone  
accusantium distinctio verum, Wittenberga
33. Waleh s. Joh. Georgii / Diff. de Sacra  
Coena a Laicis administranda,  
sicud 1797.
34. Weirmann / Chr. Eberk / Diff. de Sensu  
tutissime Confessionis mutud ex  
jacob. v. v. b. Tubingz 1796.
35. Dignitas Corporis hominis  
Christiani ex qualitate domus. et  
Templi Dei, Tubingz 1796.
36. noxia mutatio ferme  
docendi de Lege et Evangelio,  
Tubingz, 1796.
37. jansenismus bifrons in  
doctrina de Ecclesia, Tubingz, 1797.
38. Wally s. Christoph. / Diff. oratio in  
Contemptores Religionis Christianae  
L'ipid 1796.
39. Curiose fructuuz der werth  
Prosis, Gen. vi, v. 2. Amsterdam  
1727.

DISSERTATIO THEOLOGICA;  
DE  
Opere Dei Miraculoso, Gratio-  
so & Glorioso  
IN  
SANCTIS REDIVIVIS  
demonstrato,

*ad locum Matth. XXVII. 52, 53.*

QUAM

Propitio Deo O. M.

SUB PRÆSIDIO

*Viri Summe Reverendi atque Doctissimi,*

**D. DIETER. SIEG. CLAESSENI,**

S. S. Theol. Doct. Ejusdemq; Facultatis in Regia

Academia Viadrina Prof. Publ. Ord. Ecclesiæq; Ref.

Pastoris disertissimi,

IN AUDITORIO MAJORI

A. MDCC XXVI. d. XVI. April. placido Examini submittet

Auctor & Defendens

SAMUEL BAGAMERI, Medio-montano Hungarus,



Francofurti ad Viadrum, Literis TOBIÆ SCHWARTZII.





REVERENDISSIMO, ILLUSTRISSIMO,  
atq; EXCELLENTISSIMO VIRO,

DOMINO  
DN. FRIDERICO  
ERNESTO,  
LIBERO BARONI

ab IN & CNYPHAUSEN,  
AUGUSTISSIMI BORUSSORUM REGIS  
MINISTRO STATUS POLITICI INTIMO, ORDINIS  
S. JOHANNIS EQUITI, ET LIETZEENSI COMMEN-  
DATORI, CONSISTORII S. RERUMQUE ECCLESIASTI-  
CARUM PRÆSIDI GRAVISSIMO, NEC NON ACADE-  
MIARUM REGIARUM OMNIUM atq; ILLUSTRIS  
GYMNASII JOACHIMICI CURATORI AC  
DIRECTORI SUPREMO &c.

UT ET  
GENEROSO, AMPLISSIMO ac CONSULTIS-  
SIMO VIRO,

DOMINO  
WILHELMO  
DUHRAM.

Intimo τῆς Δικαστηρίας & superiorum Appellationum Buleutæ,  
Aulæ, Judicialis Cameræ, Senatûs itemq; Ecclesiastici Con-  
siliario, Fisçali Generali Regio, Fisç iq; Advocato,

*Macenati, Patrono, & studiorum Promotoribus  
omni pietatis studio humillime colendis,*

NEC NON  
VIRIS DEI EXCELLENTISSIMIS,  
MAXIME REVERENDIS, CELEBERRIMIS atq; DOCTISSIMIS,

DOMINO  
JOHANNI DANIELI  
SCHMIDTMANN,

Senatus Ecclesiastici Consiliario prudentissimo, Eloquio-  
rum Divinorum in Templo Parochiali Berolinensi Dispen-  
satori Primario, facundissimo, atque Societatis Angli-  
cæ de propaganda Fide Membro fidelissimo.

DOMINO  
DIETERICO SIEGFRIED  
CLAESSENIO,

S. Theologiæ Doctori, ejusdemq; Facultatis, ut & Hist.  
Ecclesiasticæ Professori Pub. Ord. Ecclesiæ itemq; Reform.  
Pastori fidelissimo, disertissimo, Fautori, Præceptor  
ac Præsidi æternum venerando.

ut &

DOMINO  
JOH. GEORGIO à BERGEN,

Medicinæ Doctori, & Professori Publ. Ord. Experientis-  
simo, fructuosissimo, ejusdem Facultatis hoc tempore  
Decano Spectabili, Fautori suo benevolentissimo.

*Spicilegium hocce Academicum in debita  
gratitudinis arrham*

D. D. D.

Auctor & Defendens.



## PROOEMIUM.

**Q**uibus subsidiis Eum oporteat esse instructum, qui in studio Allegorico, Symbolico, & Typico sese exercere voluerit, aliis equidem dijudicandum relinquo; *duo* tamen vel in ipso hujus Dissertationis limine animo meo obversata esse, palam confiteri non erubesco. *Primum* est, quod agnoscam singularem Dei circa Ecclesiam suam Providentiam, cui non desunt Doctores in mysteriis fidei optimè versati, qui Doctrinam Gratiae purissimam & limpidissimam, ex unico illo medico Israël source, Christo Domino haustam, diligentissime tradunt, neque supra Magistrum suum sapere tentant; quin imo, qui juxta monitum Domini Joh. V. 39. *Scrutamini Scripturas*, noctes diesq; sedulo impendunt, ut *Spiritualia cum Spiritualibus conferant*. 1. Cor. II. 13. & ita quidem, ut non tantum Magi Spiritualis Aegypti Digirum Dei in illis cogantur agnoscere, uti olim Magi Pharaonis in Miraculis Mosis & Aaronis Exod. VIII. 19. Verum etiam Spiritus ille impurus. Marc. I. 23. 24. Luc. IV. 33. 34. qui *vasa Dei ad decus preparata*, juxta Rom. IX. 21. -- 23. obsederat, cogatur obmutescere, & summo horrore veritatem profiteri de *Sancto illo Dei*.

A

Secun-

Secundum verò est, quod non possim non vehementer improbare illorum temeritatem, qui frena ingenii sui nimium laxant, &, quia præ aliis limatuli ac polituli volunt videri, miscent omnino quadrata rotundis, sive etiam quidvis è quovis eliciunt, & ejusmodi profecto novellas suas sententias pingunt coloribus, quales Sapientissimus Spiritus Sanctus ad ornamentum Templi spiritualis Salomonis, ejusque Vasorum, adhiberi nunquam forte voluit. Quæri jure merito ex istis novaturientibus posset: Numquid sapientissimus Salomo in extructione Templi splendidissimi ac penitus mystici, quod Templum spirituale N. T. adumbrabat, adhibuerit quidpiam, quod vel ab ipso Spiritu Dei vel à Davide non fuerit accuratè edoctus? Minimè: quodsi enim Leviticum Mosis Tabernaculum extrui debuit secundum typum, quem Moses in monte Sinai viderat, Exod. XXIV. 3. 4. Conf. XX. 40. de quo Moses itemq; Apostolo referente, Divinitus sedulo diligenterq; monitus fuerat, ut ne secus quidpiam faceret, Heb. VIII. 5. *Vide inquit Deus, facias omnia κατὰ τὸν τύπον secundum exemplar in monte tibi ostensum:* nã idem plane de Templo Salomonis statuendum est; cujus quippe forma ab ipsius Jehovæ manu delineata, 1. Chron. XXVIII. 12,--19. & per Davidem Salomoni supeditata esse ibidem legitur. Unde jam sponte suâ sequitur, quod, qui ex studio Typico Ecclesiam Christi ornare voluerint, arduam & maximi momenti rem aggrediantur, simulq; necesse habeant probe distinguere inter *Typum*, quem Scripturâ S. disertè satis ostendit, ut *Jonam Christi Typum*, Jon. II. 1. Conf. Matt. XII. 40. & apertissimè insinuat: ut *Agnum Paschalem*, ejusdem

ejusdem Christi Typum. Exod. XII. 3. & seqq. Conf. i. Cor. V. 7. nec non inter *Typum*, quem Scriptura *non ita penitus diferte* atque explicite ostendit, sed quem Interpretes inferunt, & qui in probabili duntaxat analogia consistit: Quales Typi sunt: *Josephus* à fratribus venditus, Gen. XXXIII. qui Christum à Juda venditum repræsentare potest, quod ipsum tamen non ex Typo (ut nonnulli volunt) Josephi venditi, sed ex Prophetia Zach. XI. 13. elicit Evangelista Matt. XXVII. 9. Item *Adamus* ex somno resuscitatus, Gen. II. 22. 23. *Daniel* ex fovea leonum reversus, Dan. VI. 22. Resurrectionis Christi (ut volunt) Typi &c. Hinc oportet nos probe animadvertere, *prioris commatis* Typum ex intentione Spiritus S. depromptum, & sic certissimæ evidentix esse; *posterioris* verò *commatis* Typum sæpiusculè cum insigni Spiritus Sancti injuria, à variis Interpretibus vario modo torqueri, omnemq; eorum Interpretationem manere dubiam, neque certo aut infallibili penitus fundamento superstructam esse.

Minimè tamen ego ausim vel idcirco summam Studii Typici necessitatem in dubium vocare: Opera profecto, quæ in explicatione Typica Textuum V. T. infumitur, nequiquam est inutilis aut supervacanea, sed maxime necessaria; dummodo absit à temeritate, ad quam luxuriantia quorundam ingenia nimis sunt proclivia: Contra autem diferte affirmo (1.) Deum, in multis Ecclesiæ Veteris memorabilibus Personis ac Rebus, eam sapientissimo Artifice dignam exhibuisse picturam, quæ Christus unà cum Corpore suo mystico egregie delinearetur. Deinde verò (2.) etiam dico: In Oe-

nomia Gratiae N. T. multas reperiri res spirituales, quæ umbræ tantum sunt futurorum bonorum, in futura demum gloria obtinendorum. PRIUS utique docuerunt Christus & Apostoli, Veritatem Evangelicam sæpius ex Typis demonstrantes, & infallibili Spiritus S. ductu ad conscientias hominum applicantes, qui, illas ipsas Veritates ejusmodi Typis à Deo depictas esse, ignorare non potuerunt: POSTERIUS verò docet fides nostra, qua apprehendimus, & veluti in lumine quodam cernimus futura, quod ipsum ramen lumen umbra est, si comparetur cum lumine illo Gloriæ futuræ; hinc est, quod *fides dicatur illud, quo subsistunt, qua sperantur, & qua demonstrat ea, que non cernuntur*, Heb. XI. 1.

Lusum itaque ingenii in Mysteriis fidei, sphæram Rationis ut plurimum superantibus, cohibendum esse, perpetim nos debet monere consideratio relationis illius, quæ est inter Revelationem & Rationem, ut inter *Saram & Hagaram*, illam *Dominam*, hanc *Ancillam*, & *hanc secundum carnem*, illam *verò secundum Spiritum*, Gal. IV. 29. ubi *illa* ministerium *hujus* exposcit, ibi obtemperandum est, ubi verò silentium imponit, ibi filendum est: præstat enim piè aliquid ignorare, quam carceres ac repagula Revelationis transfilire, & vel sic impiâ audaciâ protervè nimis peccare.

Quum verò & ipse ego elegerim sublimioris omnino contemplationis in Doctrina Religionis Christianæ Argumentum à me tractandum, de SANCTIS nempe cum Christo REDIVIVIS, non immerito forte illam ipsam temeritatem, quam circa *Sacra Mystica* tractandi *abusum* paulo ante reprehenderam in aliis, in meos humeros

meros revolvi dixeris, sicubi ego, genio Rationis nimiū indulgens, ex delicatulo hocce argumento temere, & quasi obtorto collo, mystici quidpiam eruere, idque præsumere velim, quod oppido multi absq; ullâ fronte in tam dubiis Argumentis præsumere audent, dicentes: *Aut illorum Interpretationem esse certissimam, aut nullam aliam dari posse veram.* Sed longe alia mihi fedet mens, quippe qui ex miraculoso hoc Resuscitationis opere, veluti ex speculo quodam, *opus Dei Gratosum*, in Oeconom. Nova manifestatum, rudi quantumvis penicillo, *delineare in animum induxi meum.*

Mihi verò hanc viam ingredienti offerunt sese, in ipso Arguementi limine stupenda illa Dei opera, quæ Salvatoris nostri cruces in Cruce spectantibus sic satis erant manifesta, quæque rem futuram, ceu certissimi & infallibiles quidam Prodrumi, multo antea, veluti ex speculâ prænunciabant, ut infra suo loco videbimus. Hæc verò Opera Dei, Scriptura in sensu admodum emphatico *Miracula* appellare solet, partim σημεῖα *signa* veritatis certissima, de quibus est mentio, Marc. VIII. II. XVI. 20. Joh. II. II. III. 2. Hebr. II. 4. partim τέρατα, *Prodigia*, Conscientiam convincentia, qualia occurrebant in sanatione Mulieris, quæ fluxu sanguinis laborabat, Marc. V. 33. in Mulieribus Christum in monumento quærentibus. Marc. XVI. 8. & in contremiscentia ac consternatione cœmentariensis, Act. XVI. 29. partim autem δόξα μω, *virtutem* scil. *salutarem* in peculiaribus Casibus manifestatam, ut Luc. XIX. 37. Act. II. 22. VIII. 13. &c. Ex quibus sponte fluit, Deum *proprie sic dicta* Miracula Impostoribus & Pseudo-Prophetis ad falsam Doctrinam confirmandam nunquam concessisse.

fisse: Imo vero vix etiam credibile est, impiis & sceleratis ad confirmandam Doctrinam veram, istam Miracula, *κατ' ἐξοχήν* sic dicta, patrandi facultatem indulgisse. Quod ad Prius: Vix quidquam patrocinetur adversæ sententiæ Patronis, quod Pharaonis Magi & præstigiatores *similiter* fecisse dicantur, ac Moses & Aaron fecerunt, Exod. VII. 14. Si quidem baculus Aaronis baculos Magorum *deglutire*, h. e. eludere potuerit; Deus autem sibi nec illudere potest, nec illudi potest permittere. Et vel hoc unicum sufficere videtur argumentum, quò spuria illorum præstigiatorum miracula falsitatis redargui possint, quod in illorum nempe præstigiis non fuerit efficax aut præsens *digitus Dei*, h. e. vis omnipotens; qui tamen digitus Dei in Miraculis Mosi & Aaronis, vel ipsis Magis fatentibus, adfuisse legitur, Exod. VIII. 19. Nec obstat (quod tamen fundamentalis roboris esse videtur) quod Deut. XIII. 1. 2. 3. per *אֵת אֱמוּנָתוֹ* *Signum & Prodigium*, Deus aliquando *tentare* dicatur Populum, *non enim tentat Deus quenquam ad malum* Jac. I. 13. quod tamen Deus facere videretur, si non solum permetteret tentationem ad malum, verum etiam arma extraordinaria suppeditaret, & ita vim suam omnipotentem, tanquam veritatis infallibile signum, falsis Prophetis ad Doctrinam falsam populo obrudendam commodaret. Quare dicendum est: Deum, ad tentandum Populum, permisisse tantum ordinarios Casus naturalium concursus ad operationes Pseudo-Prophetarum, minime verò vi suâ omnipotentem malum aliquod contra suam Sanctitatem promovisse, & effecisse. Hoc ipsum addo: Quod si Pseudo-Prophetis largiamur proprii nominis miracula,



cula, non est ulla ratio, cur etiam maximo Impostori Muhammedi, pestilentissimæ suæ Doctrinæ fabro & fundatori, negentur vera miracula, quæ tamen falsissima fuerunt, qualia sunt: *Quod inter ipsius digitos pro-  
venerit aquarum scaturigo, potando exercitui numerofo suf-  
ficiens: Quod aliquando 80. viros paucis panibus, a quodam ab-  
latis, saturaverit: Quod Camelus apud ipsum de dura servi-  
tute conquestus sit: Et quod ovis assa, veneno infecta, ipsi di-  
xerit, cave me comedas; quanquam multi etiam suspicen-  
tur, Muhammedanis hæc fortassis afficta fuisse. Sed  
missis omnibus ambagibus sufficere dicimus, quod  
hæc Pseudo-Prophetarum signa seu Miracula, ut & il-  
la abusive sic dicta, Matth. VII. 22. XXIV. 24. Apoc.  
XIII. 13. XVI. 13. vocentur ab Apostolo, 2. Thes. II. 9.  
*Signa mendacia:* Fit enim sæpe ex justo Dei judicio, ut,  
postquam homines amorem veritatis non receperunt, mit-  
tat Deus in illos ἐνέργειαν πλάνης efficaciam seductionis, ut  
credant mendacio. v. 10. II. Quod verò ad POSTERIUS spe-  
ctat, id innuitur Marc. XVI. 17. ubi Fidelibus tantum-  
modo promittitur Donum Miracula patrandi: Idem  
probat Petrus Act. II. 38. & Apostoli Cap. V. 32. nec  
non Pharisei quidam, & cæcus à Christo sanatus. Joh.  
IX. 16. -- 31.*

Quibus ita præmissis, accingemus nos, Deo pro-  
pitiò, ad expositionem Textus nostri & *Literalem &  
Mysticam.* Ubi I. tractabimus, Operis Divinæ Potentiæ  
Miraculosi demonstrationem in SANCTIS REDIVI-  
VIS. II. Eandem ad Operis Gratia ordinem, in spe-  
ciali casu Oeconomiae Novæ observatum breviter ap-  
plicabimus. III. Tandem Horum omnium Implemen-  
tum, in Regno Gloriæ celebrandum, brevissime indi-  
cabitur.

PARS

De Opere Divinae Omnipotentiae Miraculoso, in  
SANCTIS REDIVIVIS,  
demonstrato.

Matth. XXVII. 52, 53.

*Et monumenta aperta sunt: & multa Corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt.*

*Qui egressi e monumentis post resurrectionem ejus, introierunt in sanctam Civitatem, & apparuerunt multis.*

Argumentum Tractationis.

*Exponitur & ostenditur N Nexus Orationis, seu ordo Historia ab Evangelistis concinnatus, ubi videre licet (I.) Tenebras ab hora sexta usq; ad horam nonam factas. (II.) Scissionem in velo Templi. (III.) Terra motum. (IV.) Petrarum fissionem. (V.) Centurionis, & qui cum illo erant, testimonium de iis, quae viderant. □ Ipsum Miraculum, ubi vide sis SUBJECTA, circa quae Miraculum versatur, & quidem. (α) Subjectum Loci cum suo Predicato. (β) Subjectum Personarum cum Actu miraculoso circa illas se exerente. ▸ Consequens Miraculi.*

THESIS I.

**Q**uod itaque N ad Nexus Orationis attinet, liquidissime constat, illum stylo Historico in Libris S. Scripturae Historicis Spiritui S. conscripto, exaratum esse, ubi res non ubique naturalis, h. e. quo gestae sunt, ordine tradi solent, sed etiam artificiali, sic, ut non per omnia naturalis ordo

ordo observetur, sed subinde etiam prout Spiritui S. visum erat, Historiæq; brevitatis exigebat, non nihil immutetur; ita tamen, ut ordo minus naturalis, ab aliis Evangelistis in ordinem digestus, ordinem rerum naturalem Lectores satis edocere possit. Utrumq; in hac nostra Historia ostendit *Evangel. Matthæus*, tum ordinem naturalem usque ad v. 52. *Marco & Johanne* in idem (excepto Luca Cap. XXIII. 45.) consentientibus, tum verò ordinem artificialem v. 53. 54. (quem tamen nos infra ad naturalem revocabimus) sequendo.

II. In Ordine seu Nexu Historiæ S. quatenus instituto nostro infervit, ante omnia sese nobis offerunt. (1.) *Tenebræ tribuariae*, paulo ante mortem Salvatoris factæ super omnem terram v. 45. De quibus multis disquiri possêt: Utrum ab Ecclypsi Solari, eaque naturali, ortæ fuerint, quod Lucas non obscure innuere videtur, dum addit, *Solem fuisse obte-  
nebratum* Cap. XXIII. 45. sicq; toti Hemisphario Terre-  
stri incubuerint? An verò fuerint profectæ ab Ecclypsi  
*praternaturali*, atque in Terra tantum Gentis Judaicæ con-  
spectæ? In quâ bimembri Quæstione partis prioris nega-  
tivam, posterioris verò affirmativam sustinere, tutius esse  
ducimus; si quidem (a.) ab ipsis Astronomis probe obser-  
vatum est, secundum Naturæ Leges Ecclypsin fieri non  
posse, nisi Novilunii tempore, quando Corpus Lunæ, inter  
Solem & aspectum nostrum interjectum, medium occupat  
locum: at verò crucifixionis Christi tempore fuisse Pleni-  
lunium, diferte docet Festum Paschatis, quod incidebat  
in XIV. diem Mensis Nisan. Fiebat autem Ecclypsis illa  
hora Judæorum sexta h. e. ipso meridie, qualem natura-  
liter nunquam conspici, constantissima Scholæ Astronomi-  
cæ fertur esse sententia. Quoad (β.) verò nihil certi in  
contrarium è Scriptoribus colligi potest: unde *Terullia-  
nus* (a) dum id persuadere conatur, aperte prodit testi-  
monium mendax, quod ex imperitia Astronomorum Gen-  
tilium, hoc Solis deliquium Ecclypsin naturalem putan-  
tium,

B

(a) In Apologetico.

tium, desumptum est. Ejusdem farinae est *Testimonium Eusebii*, (b) qui in Terra aliqua exterâ, ibi non nominatâ, eodem temporis puncto tenebras factas esse, quo in Terra Judæorum factæ erant, contra omnem rationem posteritati obtrudere non erubescit; quasi verò in omnibus Regionibus eadem fuisset Horarum & Polorum constitutio, quæ fuit in Terra Judaica. Frustra quoque Dionysii Areopagita verba (c) hanc in rem emendicata, vulgo allegari solent: *Aut Deum pati, aut futurum esse, ut mundi machina dissolvatur*; quum hæc cum cæteris pari passu ambulent, & non minus dubiæ fidei Scriptorum narratiunculis nitantur: unde vel hoc ipsum non obstat sententiæ nostræ, quod supra memoratus *Tertullianus*, hanc Ecclypsin (vel prout illi placet) *hunc Mundi casum in Archivis, seu Actis Publicis Romanorum relatum fuisse* dicat; quippe quum, hoc ipso jam tempore Christi, ipsa quoq; Judæa a Romanis in provinciæ formam fuerit redacta, qui proinde Romani tam inauditum in Imperio suo casum non immerito Actis Publicis ad feræ posteritatis notitiam inferebant. Verum hoc vel maxime nobis ob stare videtur, quod Textus dicat tenebras factas fuisse *ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν, super omnem terram*, vel, ut *Marcus & Lucas* habent, *ἐφ' ὅλην τὴν γῆν, Super totam terram*. Sed neque hoc multum nos movet, cum etiam Imperium Augusti Cæsaris vocitetur *πᾶσα οἰκεμένη, omnis habitata*, Luc. II, 1. Sic idem Imperium Romanum *ὅλη οἰκεμένη, tota habitata* dicitur, Act. XI, 28. quæ verba posteriora Celebris BEZA vertit, per *totum terrarum orbem*, priora verò nostri Textus verba per *universam regionem* interpretatur, ut vel sic significetur, Tenebras illas trihorarias, (quas existimamus ex repressione & interceptione radiorum solarium ortas,) terræ tantum Judæorum fuisse immiffas, ut ne pertinacissimæ Genti Judaicæ lumen aut effugium superesset.

III. Ex his jam in promptu est colligere, quid hæc tenebræ

---

(b) Ex Phlegonte Tralliano. (c) In Epist. ad Polycarpum.

*nostra* præsignificaverint, nimirum: utut nequaquam excludatur Christi Domini in Cruce pendens summa Majestas, quod vel ipse Centurio probe adverterat dicens: *verè Filius Dei erat ille*, v. 54. ex jure tamen Talionis, ob *exortu Solis justitie* Mal. IV. 2. rejectionem, à Judæis frivole factam, ejusque nefariam extirpationem, Solem sive *lucem verbi Dei* in ipso meridie (dum vel maxime lucere deberet) illis subtractum iri, noctemque atram, magnæ calamitatis prænunciam, illis immissum iri, juxta Amos. VIII. 9. quo etiam diserte alluditur Joh. XII. 35. 36. *ad huc parvo tempore lux vobiscum est, dum lucem habetis credite in lucem.* Quod sane implementum suum fortitum est, quando juxta Parabolam Matth. XXI. 33. -- 43. post occisum Patrisfamilias ab agricolis filium, & gravissimam illam pœnam, quâ Paterfamilias in hoc eorum crimen atrocissimum animadverterat, alii tandem genti elocavit vineam suam, &, ut verbo multa complectamur, quando *Christus primus ex resurrectione mortuorum lucem annuntiavit Gentibus*, Act. XXVI. 23. quæ illis detegenda erat, Luc. II. 33. Conf. Zach. XIV. 6. -- 8.

IV. Videamus nunc II. *Sissonem Veli à summo ad imum*. v. 51. Quale hoc Velum fuerit, juvabit brevibus indagare. Certum est, Velum Tabernaculi Levitici atque *Templi primi*, cum eversione Urbis & Templi primi, flammis ultricibus jam cessisse: cujus forma describitur Exod. XXVI. 31. 2. Chr. III. 14. quod fuerit tapetum acu pictum variegatis coloribus intra parietem intergerinum, quod Sanctum à Sancto Sanctorum dividebat, appensum. Ast quod ad *Templum secundum* spectat, R. Majmonides (ut testatur Doctiss. Lightfootus ad h. l.) ita scribit: *Parietem in Templo secundo non fuisse exstructum* (intellige Parietem intergerinum) *sed duo aulæ consecrerunt, unum contiguum Sancto Sanctorum, atq; alterum Sancto, inter qua erat Cubitus vacuus pro crassitudine Parietis Templi primi, in quo non erat nisi catapetasma unum.* Unde merito quaeri posset: Quare Evangelista in singulari loquitur?

tur? Et utrum *exterius* an vero *interius*, velum fuerit scissum? Sed Resp. Satis omnino fuisse Evangelistæ, qui Miraculum hoc memorat, dixisse: ruptum esse illud repagulum, quo obseptum fuerat Sanctum Sanctorum à conspectu & aditu; neque enim necesse erat duorum velorum habuisse rationem, cum non modo Tabernaculum & Templum Salomonis unicum habuerit velum, Sanctum Sanctorum à Sancto dividens, sed Paulus etiam unius ejusdemq; veli faciat mentionem in sua ad *Hebræos* Epistola. Quid verò scissio Veli figuraverit, non est necesse multis inquirere, aut cum quibusdam dicere, Cœlorum visibilibus figuram gessisse, idem enim Apostolus ad Hebr. X. 19. 20. aperte dicit: *Velum illud fuisse Carnem Christi*, quâ ruptâ, in *Sanguine* ejus patefactam esse viam ad *Sacrarium Cœlestē*, ut *fideles cum fiducia penetrare sustinerent ad thronum gratiæ*, Hebr. IV. 16. adeoque omnes umbras veteris illius Sacerdotii, in quo Sacerdotes magnificè sibi placebant, penitus jam esse sublatas.

V. Sequitur III. Terræ motus, v. 51. & *terra mota est*. Terram à fortissimo Dei brachio stabilitam esse, neq; eam locò suò dimoveri posse, docet David i. Chr. XVI. 30. quando itaque movetur, ab eodem fortissimo Dei brachio eam concuti necesse est. Verum est, particulares sæpenumero terræ motus factos fuisse, eosq; tam *naturales* ex causis naturalibus, utpote exhalationibus seu flatibus subterraneis; quam etiam *supernaturales*, quod abunde docent Historiæ profanæ & Ecclesiasticæ. Nullum verò est dubium, hunc terræ motum fuisse omnino *supernaturalem* & miraculosum; numquid autem ultra Terræ Judaicæ limites processerit, de eo æquè ac de tenebris trihorariis in utramque partem disceptari solet. Nos tamen latius hoc miraculum, quam illud *precedens* patuisse, tam ex *Pblegonte* supra citato, quam ex *Augustino*, (d) qui de *Mirabilibus Scripturæ* tradit hoc *terre motu undecim Civitates in Thracia subversas* fuisse, facile libenterque nobis perfvaderi patimur. Neque  
significa-

(d) *Sive alio hujus libri Auctore. Vid. Labbeus in Bellarm, de Script, Eccles, Tom. I, p. 133.*

significatio mystica huic portento defuit. Et 1. quidem *iram Dei*, ob atrox Judæorum scelus, juxta Ps. XVIII. 8. Joël. III. 16. graviter exardentem, portendebat. Sed vel maxime multoque directius. 2. significavisse, Orbem terrarum Prædicatione mortis Christi commotum iri, digito quasi ostendit Paulus ad Hebr. XII. 24. -- 26. ubi dicit, *accessisse fideles ad Novi Testamenti Mediatorem Jesum, sanguine aspersione loquentem, cujus vox tunc terram movit, dum scil. Legem ad montem Sinai exhibuit, nunc autem denunciavit, semel movere non solum terram, sed & Cælum.* Quæ verba defumfit Apostolus ex Hagg. II. 7. 8. ubi singulare illud signum, quod Deus ad promulgationem Legis in Monte Sinai adhibuerat, Exod. XIX. 18. comparat cum signo ad promulgationem Evangelii accedente. Sicut enim ibi terræ motus factus fuerat, cum fundaretur Ecclesia Judaica, ad standam autoritatem Legis: ita etiam hic loci, cum fundaretur Ecclesia N. Testamenti, exhibitus fuit terræ motus, ad declarandam autoritatem Evangelii; præsertim cum jam ipsa morte Christi destructa confusaq; esset Oeconomia vetus, & *Mons Dei Sanctus*, Ps. II. 6. aliam omnino subire deberet faciem.

VI. Succedit IV. Fissio Petrarum, & *petra fisse sunt.* Hujus rei Exemplum habemus etiam in singulari illa apparitione Divinæ Gloriæ olim Eliæ facta, 1. Reg. XIX. Neque verò temerè existimamus, hâc petrarum fissione præfiguratum fuisse, Corda Judæorum facta esse ipsis petris duriora, quippe quæ ad tam manifestam Christi gloriam ejusq; signa portentosa nihil mollescerent; nihil ergo aliud superesse videbatur, quam ut de præsentia illius Gloriæ ipsa nunc *petra* ac *Saxa* testimonium darent, & ut loquitur Salvator Luc. XIX. 40. *ipsi lapides clamarent, tempusque illud advenisse docerent, quò Abrahamo è lapidibus suscitentur filii,* Luc. III. 8. Testimonia quippe veritatis conferenda jam esse Gentilibus, illorum Corda lapidea findenda, & ad fidem crucis Christi convertenda esse.

VII. Superest tandem V. *Centurionis*, militis Pagani, &

qui cum illo erant, *testimonium de Christo*, quod ille *vere sit Filius Dei* v. 54. ex quo haud obscure colligitur Centurionis ad fidem Christi conversio; præsertim cum eandem ille ediderit fidei suæ Confessionem, quam ediderat *Petrus* Matth. XVI. 16. & *Nathanaël* Joh. I. 50. cumque teste *Lucâ*, Cap. XXIII. 44. *glorificaverit Deum dicens: vero homo hic, justus erat.* Quod cum ita se se habeat, hic omnino jam ex parte impletum fuit, quod fissione petrarum præfiguratum erat, Corda nimirum Gentilium lapidea ad præsentiam gloriæ Christi findenda esse, atque adeo primitias Gentium convertendarum jam actu esse præsentem, in quibus reliqua messis fertilissima uberrime benedicenda esset, quando *multi ab Oriente & Occidente venturi essent, & cum Abrahamo, Isaac & Jacobo accubaturi in Regno Calorum*, Matth. VIII. 11.

VIII. Si quis ergo illustria & singularia hæc Christi Domini in Cruce pendentis Divino Spiritu producta Miracula, arctissimo filo inter se connexa, diligenter ruminaverit, non potest non illico animum defigere ad ordinem illum operis Dei, quem in Oeconomia Gratiæ, circa transpositionem Regni sui è medio Judæorum ad Gentes sapientissime observavit, quod ipsum ipse Dominus peculiari Parabolâ, superius à nobis allegatâ, de elocatione Vineæ suæ novis agricolis facta, egregie delineabat, & aperte innuebat, Matth. XXI. 41.--43. Ex cujus contemplatione mentibus ac cogitationibus nostris non leve augmentum, ad gloriam verò sapientissimi Regis Regum celebrandam ingens argumentum subnasci posse, certissimum est. Sed hæc de Prodromis dicta sufficiant.

IX. Transimus jam ☐ Ad ipsum Miraculum Resuscitationis *Sanctorum*, ubi attendendum est, (a) ad Subjectum Loci, quod Evang. nominat *μνημείον monumentum*, à verbo *μνημονεύω memini, recorder*, derivatum, quod latæ nimium significationis est, seu pro *memoriali* sumatur, in memoriam nobis vocante eum, qui mortuus est, seu pro *monumento*, statum scil. hominum mortuorū indicante, (e) ut Joh. V. 29.

Hic

(c) *Jansenius in Concord, Evang.*



Hæc tamen *strictius* accipi pro *Sepulchris Judæorum*, indicant ipsæ rerum circumstantiæ: quæ *Sepulchra* passim in Scriptura S. monumentorū nomine veniunt; qualia erant *Sepulchreta* illorum è *petra excisa*, speluncæ instar fornicata, ingenti lapide, orificio monumenti admoto, instructa, & arte humana eò sine excavata, ut *Corpus hominum demortuorum* in illis! reconditum à *Corruptione* diutius præservaretur: quorum quidem tantâ curâangebantur *Judæorum Patresfamilias*, ut omnes illi, qui à majoribus suis tale monumentum non acceperant, id pro familia sua sibi comparare necesse habuerint. Unde in Scriptis eorum *Thalmodicis* in *Bavabathra* Cap. VI. de forma & quantitate monumentorum lege sancitum fuisse prostat, ut *longitudo Cellularum 4. altitudo 7. & Latitudo 6. Cubitos complecteretur.* Cavernam seu fornicem ejusmodi denominabant ex humectationis actu *Sepulchrum*, ex forma *Speluncam*, Cellulas in quas *Corpus* reponebant *tumulos*, saxum, seu *Lapidem* orificio admotum, *Lapidem volutationis* nominabant. (f) Quod ad externam verò formam spectat, addi solebat à Ditiioribus *pictura alba*, ex quo ritu *Christus* desumpsisse videtur metaphoricam illam locutionem de *hypocritis*, quando illos appellavit *Sepulchra dealbata*, Matth. XXIII. 27. Cujus generis *Sepulchrum* fuit *Lazari*, *μνημείον* monumentum dictum, Joh. XI. 17. *Josephi* ex *Arimathia*, in quo depositum fuerat *Corpus Domini* è *Cruce* sublatum, Matth. XXVII. 60. horum itemque *Sanctorum Redivivorum*. Ex quo facile jam patefcit, quid per *Prædicatum apertionis* in *Subjecto Loci* intelligendum sit, nempe, avolutio ingentium lapidum monumentorum ostio impositorum: sive singulari rursus *Miraculo* id factum fuerit, sive ex terræ motu, sive etiam ex utrisque, ut illud *Christi* monumentum, Matth. XXVJII. 2. apertum esse legitur, de quo prolixè ne utiquam disputamus, sufficit nobis scire hac apertine viam fuisse factam ad egressum ex monumentis.

X. Hac

(f) *Godwinus de Sepulchris Judæorum cum Notis Hottingeri. Corsey Clar. Lightfoot in Præmissis ad Matthæum. Edit. in Quarto. Cap. 6.*

Hâc autem januâ resurrectionis referatâ, plenius considerandum venit (β) *Subiectum Personarum*, cum opere miraculoso circa illud sese manifestante, descriptum: quod ipsum describit Textus, dum dicit; *multa Corpora Sanctorum dormientium excitata fuisse*. Quâ descriptione *Subiectum* hoc, tam ratione *totius*, quam respectu etiam *partis*, suas habere qualitates, aperte satis innuitur. Et quidem 1. *Subiectum* totum, seu *Personale*, venit nomine *Sanctorum*, nec temere, cum fideles illi, de quibus hic agitur, fuerint in ipso Dei aeterno Decreto ad *Sanctitatem electi* Eph. I. 4. in his autem terris vixerint *fide in Christum Cordibus purificati*, Act. XV. 9. Sancte & inculpate viventes, sancte in vera fide & spe vitæ æternæ *in requiem suam ingressi*, Psal. CXVI. 7. beatamque resurrectionem cum Jobo expectantes Job. XIX. 25. *post mortem tandem & resurrectionem à peccato liberati*, Rom. VI. 7. (2.) Prædicatur de illis, quod fuerint *dormientes*, quod ipsum verò de parte illa *totius Subiecti* accipi debere, cui proprie competit, haud difficulter potest colligi. Certum quippe est, id solummodo proprie posse *dormire*, quod functiones suas naturales, earumq; motum externum, quò fungi consueverat, ad tempus aliquod exiit; ita tamen ut ad levem quemvis motum extrinsecus advenientem facile excitetur, nisi nimio affectu præternaturali, eoque soporoso, obrutum fuerit. Anima autem rationalis, quæ in perpetuo & indefinente actu est, actiones suas nunquam exiit, adeoq; proprie loquendo nunquam dormit. Unde *ad dormire* Corporibus Sanctorum tribuendum esse, ipse Evangelista innuit, quando dicit; *Corpora eorum excitata fuisse*, nec sine causa: fideles enim, & Christiani, qui mortuorum resurrectionem credunt, & mortem *κοιμησην dormitionem* magis, quam *θανατον* mortem, appellari volunt, sepulchra sua denominarunt *κοιμητήρια dormitoria*, usu hodierno apud Latinos recepto *Cæmeteria* dicta, i. e. loca ad quietem & somnum destinata. (g) Dormivisse autem dicun-

(g) Vide Cassiodorum in Hist. Tripart. Lib. V. Cap. 3. item Justellum ad Can. IX. Concil. Laod.

dicuntur Sancti illi, *metaphora pereximiâ*, à statu dormientium curis defessorum ac solutorum, deducta. Ut enim (1.) Somnus ad recreandum hominem, variis curis oppressum, est ordinatus, qui indefinenter vigilare haud potest, sed, ut interdum quiescat, necesse habet; ita illi etiam Sancti, post diurnam Messæ expectationem, variasque animi curas, tandem aliquando ad quietem devenire debebant. Quemadmodum (2.) nemo cubitum it, ut perpetuo dormiat, sed ut post debitum somnum expergefactus ad munia suæ Vocationis tantò alacrius obeunda revertatur; ita illi, etiam ea fide obdormiverant, ut, post perfolutum naturæ debitum, corpore tandem & anima Deum glorificarent. Sicut (3.) dormientes facile e somno excitantur, nisi ille præternaturalis fuerit; ita hi Sancti Divinâ manu tacti, ex mortuis facillimè excitati sunt.

XI. Opus, seu Actus Miraculosus, circa hæc subiecta Personarum sese exerens, exponitur verbo unico *ἠγέρθη* excitata sunt: quod verbum tam in *Forma Activa* ab *ἐγείρω* excito, quam in *passiva* ab *ἐγείρομαι* surgo, in *sensu proprio* aliquando significat, *excitare & surgere post aliquem casum aut discubitum*, uti Matt. XII. 11. dicit Dominus ad Phariseos eum tentantes: *si ceciderit ovis alicujus in foveam sabbatho, nonne apprehendet eam καὶ ἐγερῆι & excitabit vel eriget?* Joh. XIV. 31. dicit discipulis: *ἐγέρθετε surgite, discedamus hinc.* Aliquando *sensu strictiori & metaphorico* sumitur pro resurrectione spirituali. Eph. V. 14. *ἐγέρου surge qui dormis, i. e. surge è morte peccati.* Verum tamen etiam, ut alia mittamus, sumitur *strictissimè*, pro excitatione ex morte corporis, ut Joh. V. 21. 1. Cor. XV. 42. &c. uti & in Textu nostro.

XII. Universalem fore Resurrectionem, aperte docet Revelatio, nec diversum sentit sana Ratio: ambæ enim, ut certissimi, infallibiles & fidelissimi testes, monent rationalis Creaturæ Conscientiam, justo judici Deo rationem aliquando esse reddendam; quamobrem ille idem judex statuit diem, *quò venturus est judicare universam terram in justitia,*

C

ACT. XVII.

Act. XVII. 31. At vero liberrimus legum suarum dispensator Deus, cui licet facere in suis quod vult, Matt. XX. 15. ut notas faceret gloriae suae divitias erga vasa misericordiae, quae paravit ad gloriam Rom. IX. 23. utq; amissionem hominum, promissionum divinarum constantiam in dubium vocantium, convinceret, libere in hanc dispensavit Naturae Legem, tam in veteri, quam in nova Oeconomia, Resurrectionis particularis & extraordinariae exempla utrobique relinquens. Videbatur enim semper sapientiae humanae, quantumvis Deus Verbo suo id testaretur, absurdissimum, imo prorsus impossibile, in vitam revocari eos, qui multis ab hinc seculis computruissent, ac plane annihilati esse existimabantur. Quare Deus, in primo Mundi millenario sub Promissione, fidem hujus Articuli, fere apud omnes intermortuam, Henochi Patriarchae vivi ad se in Caelum translatione, resuscitavit. Postea etiam, elapsis tribus annorum millibus sub Lege, Eliae ad Caelum evecti nova testificatione eandem Veritatem comprobavit, & plenissime (utut alio etiam Exemplo mystico ac typico id factum fuisse constet) confirmavit. Ita sub Oeconomia Novae initium, ut Promissionis Abrahamo factae: *Ero Deus tuus* (secundum Exod. III. 6. Conf. Matt. XXII. 32.) certitudo innotesceret, admirando testimonio palam declaravit, se esse Deum Abrahami etiam post mortem ejus, dum nonnullos eorum, qui ejusdem fidei Abrahamiticae facti erant participes, in eaque placide obdormiverant, ad vitam revocavit, quales erant *Lazarus* Joh. XI. *Filius unigenitus viduae Nainiae* Luc. VII. 12. *Filia Jairi* Archisynagogi. Luc. VIII. 41. *Sanctique rediivi*. Quorum tamen resuscitationi speciatim aliquid mystici sublatuisse minimè ejuramus.

XIII. Sed jam ad Quaestiones quasdam, consideratione nostra dignissimas, quae circa Miraculosam hanc Sanctorum resuscitationem, à quibusdam Theologis nec caute, nec dilucide satis proponi solent, nobis deveniendum est. Et I. quidem quaeritur: Utrum illa excitatio fuerit

fuerit momentanea, ad nutum divinæ voluntatis facta? an verò successu temporis per collectionem, prædispositionem, & compactionem particularum corporearum (sicubi fortassis illa Sanctorum corpora jam multo ante fuerint in pulverem redacta) pedetentim fit absoluta? Respondemus verò *prius affirmando, & posterius negando*. Nulla certe est ratio, quæ nos moveat, ut cum *Hieronymo* & aliis statuamus, hanc excitationem toto illo tempore paulatim ac gradatim quasi consummatam fuisse, quò Corpus Christi exanimatum in cruce pendeat, ac in ipso deinceps sepulchro latitabat. Ecquis enim dicet, quod Deus vel idcirco istos Sanctos excitare prius noluerit, quam ubi *λύτρον* pro nobis persolutum, & *Satanas* debellatus esset? Quod ipsum licet etiam concedamus, minime tamen inde sequitur, resurrectionem illam gradatim fuisse promotam. Certe cum Christus *Lazarum* mortuum è monumento vocaret, *Lazare veni foras*, Lazarus illico comparuit. Joh. XI. 43, 44. Sic *Adolescens* ille, viduæ Naininæ filius, in feretro mortuus jacens, cum Christus illi diceret: *surge*, statim *surrexit*, Luc. VII. 14, 15. cumque ad *Filiam principis synagoga* defunctam itidem diceret: *puella surge, ecce illico reversus est spiritus ejus, & surrexit*. Luc. VIII. 54, 55. Quæ cum ita sint, numquid ergo dicemus, majorem potentiam ad Corpora illorum Sanctorum (si quidem ponamus in pulverem eajam redacta fuisse) denuo compingenda & restauranda, quam ad horum spiritum intelligentem & animam vitalem, solo voluntatis imperiò in Corpora demortua revocandum, requisitam fuisse? Minimè sane. Nec ulla necessitas vel ratio nos cogit, ut dicamus, mortuò Christo protinus illos Sanctos excitatos fuisse, quos Christo demum resurgente è monumentis prodiisse, multo sit verisimilius. Vide §. XVI.

XIV. Quaritur II. ubinam, fuerint animæ illorum Sanctorum, antequam Corporibus suis unirentur? Huic vero quæstioni ansam dedit, *partim* celebris illa

Pythagoræorum *μετεμψύχωσις*, h. e. *Animarum* tam in homines, quam in bestias *transmigratio*, quam non tantum Philosophi pagani, & ex illis nominatim *Pythagoras*, defenderunt; verum etiam Cabbalistsæ, Pharissæi, atque Rabbini bene multi postea adoptarunt: eo tamen adhibito discrimine, quod Cabbalistsæ & Judæi nonnulli cum Philosophis Gentilium piorum impiorumque animas transmigrare dicerent; Pharissæi vero piorum tantum, quo respici Matt. XIV. 2. non est à vero prorsus alienum. Conf. Marc. VI. 14, 15. Luc. IX. 7, 8. Cum contra ipse Pythagoras animas tantum impiorum, minime autem piorum, in bestias transire existimaverit. Unde sceleratissimus ille blasphemator, & Judæus Apella, *Abarbanel*, ausus est absque omni pudore (horret animus dicere) effutire, Efavi animam per *μετεμψύχωσιν* in Corpus sanctissimi Salvatoris nostri transmigrasse. Quod commentum Cabbalisticum sponte sua destruitur; si enim (ut illi tradunt) una eademque anima in Corpus Adami & Davidis, postea etiam in Corpus Mesissæ transmigravit, ecquid fani ac solidi responderent, sicubi interrogentur, quomodo tres illi aliquando resurgere possint, sic, ut nulli sua defutura sit anima? Sed euge ponamus, minimè tamen concedamus, illam animarum in bestias hominesque transmigrationem, quo tandem argumento *Abarbanel*, aut quicumque alius illi similis nugator id refellere poterit, sicubi dixerimus, animam asinæ Bileami in ipsum Abarbanelem migrasse? Et sane, cum anima transmigracionis ejusmodi minimè sit conscia, illam asserere velle non tantum Revelationi, sed etiam Rationi benè sobriæ penitus repugnat. Sed huic porro quæstioni *partim* ansam quoque dedit decantatissimum illud *Purgatorum*, in quo miseræ animas e domicilio Corporis egressas detineri, a nonnullis traditur. Cui figmento obviam ibimus respondendo: illorum Sanctorum animas, ut & aliorum, fuisse *in requie Dei*, ibique *ab operibus hujus vite requiescisse*. Hebr. IV. 10. *In domo Dei*  
*Patris*

*Patris, ubi multa sunt mansiones.* Joh. XIV. 7. Omnes enim fideles, ante Christum incarnatum mortui, vi sponfionis Christi, domicilium in Cælo habebant, quod *Christus intra- vit, ut illis locum, non modo sanctificaret,* Hebr. II. 23. sed etiam ibidem jus permanendi, antea concessum, ipso facto ratificaret, quippe quod sanguine suo acquisiverat. Quamvis ergo *Corpus mortuum fuerit propter peccatum, spiritus tamen eorum vita erat propter justitiam.* Rom. VIII. 20. & quidem *vita beata,* non vero misera extra beatitudinem, tertium enim Scriptura S. nullibi agnoscit locum, sive *ψυχοδοχείον* ab inferno Cæloque distinctum.

XV. Quæri etiam potest III. Quinam fuerint illi Sancti? fuerintne aliqui ex Patribus? an verò ex Fdelibus ipsa Christi ætate mortuis, sed tamen inter omnes Judæos celebratissima memoriæ? Respondemus: Certum est, Evangelistam illos non nominare, *partim* ob concinnitatem Historiæ, *partim* etiam ob alias rationes sapientissimas, nobis equidem, sed non Evangelistæ, ignotas; utpote qui cum illis colloquia sua habuisse, recte fortassis ex quorundam Interpretum sententia existimandus est. Satis visum fuit Evangelistæ simpliciter indicasse, Sanctos illos fuisse *multos.* Minimè tamen nos peccare arbitramur, si in illorum numerum retulerimus Viros Dei, peculiari præ cæteris & celebratissima in sacris literis *sanctitate* præditos, quales erant *ex Patriarchis,* Abraham, Isaac, & Jacob, qui sepulchra sua ab Hierosolymis plus minus quinque milliaribus distita, magnaue animi præsagientis curâ & industriâ ab Ephrone emta in Hebron habebant. Gen. XXIII. 19. 20. Nec caret mysterio, quod Jacobus Josephum, & Josephus fratres suos summa fide ac religione obstrinxerint, ut ne Corpora sua olim demortua in Aegypto, sed in terra Canaan reconderent. Gen. L. Quales porro erant *ex Prophetis,* Samuel in Rama sepultus, 1. Sam. XXV. 1. cujus ossa ab *Arcadio* deinceps Chalcedonem translata fuisse, *Hieronymus* admodum insulse fingit, quale figmentum Reliquiis Sanctorum adorandis ansam facile potuit præbe-

præbere: Et *Elisæus* Vir Dei in Samaria sepultus, 2. Reg. II. 25. Quales etiam forte fuerunt ex *Regibus*, *David*, *Josaphat*, *Ezechias*, in civitate Davidis sepulti, qui, quoniam civitas Davidis ab ipsa Urbe Hierosolymitana certo gradu distinguebatur, non incommode eam ingressi esse dici possunt. Quales denique fuerunt ex *recentioribus*, *Simeon justus*, *Zacharias*, *Anna prophetissa*, &c. Et postremo tandem non plane absolum erit statuere, (si quis ita velit) ex eorundem Sanctorum redivivorum numero fuisse duos illos *Viros*, qui *mulieribus*, Christum Dominum in monumento quarentibus, & dum eum non invenirent, super hanc re *basinantibus*, *vestibus fulgurantibus induci supervenerant*, Luc. XXIV. 4, 5. 6. Christumque fuscitatum esse inculcabant. Hi enim diversis characteribus distinguuntur à duobus illis *Angelis*, quos *Johannes a Maria* in monumento visos fuisse scribit, Joh. XX. 12. Itemque à *Juvene* illo, Marc. XVI. 5. & *Angelo uno*, lapidem ab ostio monumenti removente, Matt. XXVIII. 1, 2. Cum enim mulieres Corpus Domini in monumento non invenissent, non dicuntur *duo Angeli* ibidem visi fuisse, sed *ἐπέστησαν αὐταῖς δύο ἄνδρες*, *adsiterunt illis duo viri*, ut Lucas habet, h. e. subito illis supervenerunt, sicut Dominus Mariæ, Joh. XX. 14. Item duo viri Apostolis. Aët. 1. 10. Conf. Cap. IV. 1. & X. 17. Nec indignum erat, ut de Christo Domino, vero illo ac summo *Propheta*, *Rege*, atque *Sacerdote*, illiusque muneris Mediatorii indole ac natura, magni illi *Prophetae*, *Reges*, atque *Sacerdotes*, ipso jam præsentem, Apostolis testimonium perhiberent. Sed hoc ipsum Problema, & pia tantum conjectura sit.

XVI Jam tandem ☐ Consequens Miraculi describit Textus, dum dicit, *Sanctos illos egressos e monumentis post resurrectionem ejus*, scil. Christi, *introivisse in sanctam Urbem*, & *apparuisse multis*. Ubi tria breviter notanda sunt. (a) *Tempus resurrectionis*. Ubi minimè volumus sequi Græcos quosdam interpretes, postque illos *Erasmum* & *Bullingerum*, qui existimant, Sanctos illos, mortuò Christo, illico quidem revixisse, sed usque ad resurrectionem ejus in sepulchro sese conti-



continuisse: Malum cum *Calvino* & *Augustino* dicere, *Mattheum* monumentorum aperturam, & Sanctorum resuscitationem, per anticipationem quandam, ab egressu ex monumentis sequestravisse, ne mens Lectorum ab Historia Signorum, mortem Christi antecedentium, distraheretur; ac proinde Christo demum resurgente illos quoque resurrexisse, vel, prout Textus habet, *ex monumentis exiisse*. Hoc ipsum verò docet I. *Lucretius* ille *actus expiationis solennis in die Kippurim* à summo Pontifice procuratus, (cui ipsa unica Christi expiatio respondere debebat,) ex quo, non nisi post sanguinem in Sanctum Sanctorum illatum, atque egressum Pontificis, poterat consolationem habere Ecclesia Izraelitica. Lev. XVI. 29, 31. Conf. Matt. XXVIII. 8. Marc. XVI. 10. Luc. XXIV. 41. Joh. XX. 20. (2.) Quia nemo mortuorum, ante Christi resurrectionem, ad vitam immortalem resurgere poterat, ad quam illos tamen Sanctos resurrexisse certum est, vide infra §. XX. Unde *Christus* dicitur *primus ex resurrectione mortuorum*, Act. XXVI. 23. ut *primicie dormientium fieri possèt*, 1. Cor. XV. 20. quibus jus primogeniti multorum fratrum se adeptum esse declararet, Col. I. 18. Ut etiam ordo maximè conveniens in resurrectione observaretur, quod ipsum insinuatur ibidem 1. Cor. XV. 23. *Primicia Christus, deinde quæ sunt ipsius.*

XVII. Consequens Miraculi hoc habet (β) quod *Sancti illi intraverint in Urbem sanctam*. Ubi per Urbem sanctam proprie intelligendam esse *Hierosolimam*, nemo ibit inficias; cum in tota Judæa, imo in universo Terrarum Orbe nulla unquam Urbs, præter hanc ipsam, illo epitheto speciatim & *νατ' Ἱεροσολῶν* insignita fuerit, quæ Judæorum Metropolis tam in veteri, quam in novo codice. Neh. XI. 18. Esa. XLVIII. 2. Matt. IV. 5. *Urbis sancta* appellatur, cui vel in ipsis Hebræorum nummis splendidus ille titulus passim deferebatur *ירושלים הקודש Hierosolyma sancta*. Sancta autè dicitur *non de facto*, quasi ipso facto tunc *sancta* fuisset; erat enim omnium latronum & nefariorum hominū spelunca,  
lapida=

*Lapidatrix eorum, qui ad eam a Deo missi erant, & trucidatrix Prophetarum, Matt. XXIII. 37. quæ ipsum quoque Principem vitæ interemerat: Act. III. 15. sed de jure, quod à Deo confituta fuerat in iugurium & habitaculum suum; Psal. LXXXVI. 3. Ubi se supra Arcam Fœderis in Sancto Sanctorum gloriose manifestabat. Sancta itemque dicitur ob paucos illos Sanctos, quos adhuc Deus ex femine sancto reliquos ibi habebat, præcipue autem propterea, quia erat Typus mysticæ Hierosolymæ, quæ Psal. XLVIII. 3. Urbs magni Regis dicitur.*

XVIII. Quæri hic jure merito potest: num quid ex hoc Epitheto *sanctitatis* Hierosolymæ Civibus, præ cæteris Contribulibus, aliqua peculiaris prærogativa arrogari poterit? Nam Judæi, inprimis Hierosolymitani, & ex illis Rabbinum nugacissimi, id sane haud obscure affectabant; unde privatorum etiam locorum sanctitatem ibidem violari posse, superstitiosissime metuebant. *Maimonides* scribit comment. in *Habac.* Judæos non potuisse pati Hierosolymis sterquilinia, propter metum, ne forte aliquis contagionem ex illis traheret; non faciunt intra ejus mœnia caminos, ob fumum, ne Urbs fumo obsuscetur; non alunt ibi gallos gallinaceos, quia humum scalpere amant, & periculum esset, ne reptilium ossa eruerent ad ipsos contaminandos, &c. Certum tamen est, hanc Urbis majestatem ac sanctitatem ad omnes etiam Izraelitas sese extendisse, qui illam Urbem Regni sui caput ac decus agnoscebant, illiusque filios se esse profitebantur, quo alluditur *Esa. XLVIII. 2.* Et quia omnium Tribuum Mater erat, ideo sanctitatem quoque suam omnibus ac singulis filiabus suis impertiebat.

XIX. Tandem (γ) ultimum Miraculi Consequens in his limitibus fuit terminatum, quod nempe illi Sancti ἐνεφανίσθησαν πολλοῖς, apparuerunt multis, sive (ut vox emphatica innuit,) conspicuos se præbuerunt multis. Eadem fere loquendi est formula, quæ ad *Hebr. IX. 24.* usurpatur de Christo in Cælum intrante, ἐμφανισθῆναι comparere vultui  
*Dei.*

*Dei pro nobis.* Ubi per *comparitionem* minime est intelligenda apparitio quædam *phantastica*, quâ Pater mendacii, Diabolus, iusto Dei iudicio obcæcatus nonnunquam eludere confuevit, ut olim Pythonissa *Saulem*, cui Pseudo-Samuelem ostendebat, 1. Sam. XXVIII. 14. Sed fuit *vera*, sensibilis & corporea *apparitio*, quod evincit ipsissima monumentorum apertura, & apparitio, non uni atque alteri homini credulo, verum multis fidelibus, iisque certissimo sensuum organicorum ministeriò instructis, facta, sic, ut nullus dubitationi locus cuiquam relictus fuerit. Quibus vero comparuerint, non necesse est operosius ac curiosius inquirere. Satis enim habuit Evangelista dicere, *comparuisse multis*: præcul dubio autem non scelestis & nefarius illis hominibus, qui Christum apertissime repudiabant, neque turbæ illi perfrictæ frontis, quæ contra lumen conscientia uno quasi ore exclamabat de innocente ac iusto illo, *crucifige, crucifige*; Sed fidelibus ac discipulis Christi, qui jam fere desperabundi ardentissime expectabant Summi Pontificis Christi egressum è Sancto Sanctorum cælesti: quos Christus illo dignabatur honore & amore, ut redivivos illos in corporibus gloriosis intueri possent, quemadmodum dignatus fuerat *Petrum, Johannem & Jacobum*, ad intuendum *Mosen & Eliam* gloriosos, in transfiguratione sui in monte Luc. IX. 28. 29. 30. quique certum testimonium exhibere poterant, *Christum esse definitum à Deo iudicem vivorum & mortuorum*, Act. X. 42. Eum jam morti prævaluisse, Sanctos fideles in Sanctam libertatem vindicasse, tandemque novissimo die ipsorum quoque fidelium Corpora resuscitanda, cum corpore unienda, & in cælestem ac permanentem civitatem introducenda esse.

XX. Non est etiam prætereunda (utut Curiosa nimis videatur, momentosa tamen) illa quæstio: Utrum hi Sancti redivivi iterum in sepulchra reversi sint, mortemque denuo viderint? An verò iisdem Corporibus resuscitati in Cælum sublati fuerint? Minime autem est credibi-

le, illos, absoluto suæ testificationis munere, ad sua Sepulchra rediisse. Insulsum enim atque nimis inconueniens videtur rationi, quod illis, qui de resurrectione & vita æterna, vi resurrectionis Christi acquisita, Sanctos fideles consolari debebant (hoc enim sine illi resurrexisse censendi sunt) iterum necessario moriendum fuerit: quod tantundem fuisset, ac si quis diceret: Fratres dilecti, ecce ego resuscitatus sum, missusque ad vos, qui de resurrectione futura nimium quantum dubii hæretis, ut meæ resurrectionis testimonio vos de vestra olim resurrectionis veritate certos redderem; surrexit enim vita nostræ Author & Causa, qui omnes in se credentes ad vitam beatam ultimo die resuscitaturus est; mihi quidem iterum moriendum est, sed iterum resurgam. Qualis enim hæc, obsecro, esset consolatio? nulla fere. Sed fatendum nihilo tamen minus est ab altera parte, Sanctos illos redi-vivos minime excitatos fuisse ad diuturniorem cum peccatoribus cohabitationem; neque etiam apparitio eorum id innuere videtur, sed ad breuem potius permanfionem, qualis est Legatorum Dei; sic, ut peractis suæ Legationis momentis, ad eundem, qui ipsos miserat, redierint. Ex quo jam probabile fit, eosdem ad vitam immortalem resurrexisse, quia I. Corpora illorum necessario debebant esse gloriosa, utpote qui, lege mortalitatis *Pulvis es, & in pulverem reverteris* Gen. III. 19. (quod de his maximè verisimile est) semel impletâ, *liberati erant à peccato*, juxta Rom. VI. 7. neque ergo peccatum, ullum dominium in illos habebat. Unde II. neque Deus tam splendidum gloriæ suæ instrumentum, ad cujus manifestationem unicè illud restauraverat, destruere necesse habebat. Quæ enim gloria ex tam admirando potentissimi operis spectaculo in Deum redundasset, si post breuem temporis decursum idè rursus destruxisset? Ecquis fructus fuisset resurrectionis Christi? Ecquam Consolationem hæc resuscitatio fidelibus ex Judæis attulisset, si citra omnem eorum expectationem glorifi-

glorificata illa Sanctorum redivivorum Corpora, in pulverem redacta fuissent? III. Non eo tantum sine Sancti illi ad vitam erant revocati, ut per eos resurrectio Christi simpliciter manifestaretur; hoc ipsum enim *mulieres* Christum post resurrectionem ejus videntes: *Discipuli undecim*, quibus conspiciendum sese præbuerat; Luc. XXIV. 33. *quingenti & amplius fratres*, à quibus itidem visus erat, vide 1. Cor. XV. 6. commodissime præstare poterant; Sed longe plus omnino Christus Dominus hoc opere videtur intendisse, nimirum; ut se morte sua, mortem atq; infernum vicisse, seque utriusque resurrectionis, tam Corporis, quam animæ Authorem esse, vivo Exemplo demonstraret. Quare in triumphali sua ascensione hos etiam Sanctos, tanquam antea mortis *Captivos*, Hebr. II. 14. in magnæ illius ultimo die peragenda Liberationis præludium, secum *in altum duxisse*, secundum Eph. IV. 8. cum *Castalione & Ainswortho*, (Vide illum in Comment. ad Pfal. LXVIII. 19. hunc ad Col. II. 15.) probabili fundamento jam supra jacto, nixi, haud temere existimamus.

### Porisnata Primæ Partis.

- I. *Justitia, quam Electi in Christo Capite suo per ipsius divitiarum obtinent, effectus est vita æterna. §. XIII.--XX.*
- II. *Unde Resurrectio ad vitam per Christum & in Christo, 1. Cor. XV. 21. tam Veteris quam Novæ Oeconomie fidelium, non nisi jure Unionis cum ipso obtinetur, ut hereditas §. X.*
- III. *Mors fidelium nec est pœna proprii nominis, nec est satisfactio pro peccato; sed potius benedictio, in liberatione à servitute peccati consistens. §. XIV.*
- IV. *Anima non desinit esse in morte, sed Piorum accipiunt suam gloriam in Cœlesti Civitate, §. XX. Impiorum autem detinentur in Carcere & pœna 1. Petr. III. 19.*
- V. *Neque de loco tertio, & intermedio ullam Scriptura S. mentionem facit, est enim imaginarius tantum. §. XIV.*

DISSERTATIONIS THEOLOGICÆ  
PARS SECUNDA,

De Operis Dei Miraculosi in  
SANCTIS REDIVIVIS  
demonstrati Manifestatione in  
Regno Gratiæ.

THESIS I.

**L**Egenti mihi & attente iterum relegenti *Stupendum Divine Potentie Miraculum, quod in memorabili illo Casu Salvatoris nostri, à Judæis sceleratissime reprobati, & cum anathematis in suas Libero- rumque suorum cervices ob sangvinem ejus devolutione, in Crucem acti, ibique dira nece excarnificati, sed tertio tandem die resuscitati, circa Sanctos REDIVIVOS toti Mundo sese patefecerat, non inutilis plane subnata est meditatio ac quæstio: Numquid similis fortean in Oeconomia Gratiæ Novæ conspicui possit Casus, cui omne id, quod circa Sanctos illos Redivivos contigit, in sensu spirituali ac mystico cum insigni applicationis fructu accommodari debeat? Nec defunt profecto gravissimi Theologi, Interpretes Scripturæ S. solidissimi, qui hanc Sanctorum resuscitationem spiritualis illius resurrectionis, quæ est Elektorum ad vitam spiritualem, insignem Typum fuisse diserte prædicent. Verum enim vero cum illa contemplatio rei, tantis Miraculis conspicuæ, ac specialissimi Casus, in generalioribus tantum subsistat; hinc videtur omnino tota illa res paulo intimius esse ponderanda, quippe quæ peculiari- bus suis characteribus sese commendat, & ad specialio- rem aliquem Casum in Oeconomia nova, peculiari & eminentiori modo*

modo Orbi Terrarum sese manifestantem, digitum quasi intendit, nosque ad illius penitio<sup>rem</sup> *Contemplationem* liberâ manu ducit.

II. Duplicis vero *Resurrectionis Spiritualis* meminisse notantur Interpretes Scripturæ S. nostrarum partium. *Prima est generalis* illa omnium *Fidelium*, per quam è Statu *mortis spiritualis* resurgunt ad *vitam Spirit.* in *Communione Christi* habendam. Unde Eph. II. 6. Col. III. 1. cum Christo resurgente *consurrexisse* dicuntur. Huic autem subjacet specialis quædam alia, nempe *Converso Gentium*, per verbum Evangelii ad cognitionem Dei veram perductarum, vel, ut Christus amat loqui Joh. V. 25. *auditu vocis Filii Dei translatarum è morte ad vitam*, scil. *Spiritualem*. Datur etiam *secunda Resurrectio*, nempe *Mundi*, Mundi, inquam, in erroribus & corruptelis jacentis, quæ ultimis diebus est futura, quorsum pertinet speciatim *Judeorum* per prædicationem Evangelii, post Anti-Christi coërcitionem, *reductio*, Ezech. XXXVII. II. 12. quorum *assumptio vita ex mortuis* dicitur Rom. XI. 15.

III. Est tamen, præter has Resurrectiones, alia deniq; *Symbolicæ* quædam Resurrectio nimirum *Ecclesie & Martyrum*. Resurrectio *Ecclesie* erit, quando illa è Statu gravissimæ calamitatis, hostiumq; injuriis, in Statum libertatis & amœnæ felicitatis vindicabitur: Ut factum erat tempore *Constantini M.* Christianæ libertatis Summi vindicis. *Martyrum* verò Resurrectio erit, quando, post Ecclesiam ita resuscitatam, Doctrina eorum vera ab Adversariorum, & vel maxime Anti-Christi horrenda Calumnia liberabitur, eorundemq; in Ecclesiam Christi merita celebrabuntur. Quod etiam factum fuisse aliquando certum est, ubi nimirum sub Paganis Romanorum Imperatoribus injuste damnati, tandem per publicam nominum & meritorum celebrationem revixerunt: Sed modo tamen magis glorioso hoc futurum esse, dehinc sperandum est. Hæc jam Stylo Prophetico *strictius* audit *Resurrectio Prima*, Apoc. XX. 5. quam sequetur *Resurrectio Universalis* omnium *mortuorum*.

IV. In hunc fere ordinem redigunt has *Spiritualis Resurrectionis* species magni nominis Theologi, *Coccejus* & *Viringa* Pater, duo illa Ecclesie nostrae celeberrima Lumina: (h) eo tamen discrimine, quod Celeberr. *Coccejus* totam *Resurrectionem Spiritualem* dividat in *Primam*, quæ fuit solennis *Conversio Gentium* post Ascensionem Domini, & in *Secundam*, quæ circa finem Mundi omnium Gentium, & ipsorum etiam Judæorum futura est. Clar. autem *Viringa* per *Resurrectionem primam* sensu latiori intelligit Resurrect. Spiritualem, seu *Conversionem* omnium & singulorum *Credientium*; *Sensu strictiori* & *Apocalypico*, *Resurrectionem Symbolicam* *Sanctorum Martyrum*, & *Conversionem Judæorum*; at verò *Resurrectionem Secundam* de *Universali Resurrectione iustorum simul & iniustorum*, quæ ultimo die futura est, exponit.

V. Quam verò ex his *Spiritualis Resurrectionis* speciebus, jamjam memoratis, nostro velimus Textui accommodare, hæsitandum forte nobis esse in re usque adeo dubia putari posset. Verum omnibus illis speciebus probe, quantum potuimus, perpensis, fundamentoque nostræ qualiscunque Meditationis circa Calcem Partis primæ §. XX. (ex intentione Christi petitò) substratò, dicimus: *Resurrectione Sanctorum Redivivorum* egregie delineari *Specialissimum* illum *Resurrectionis Spiritualis Casum*, qui in solenni *Gentium Conversione*, post *Ascensionem Domini in Cælos*, in *Oeconomia Gratia* peculiari modo sese manifestabat.

VI. Nec desunt nobis Argumenta validissima, quibus Sententiam nostram fulcire possimus, sed *tria* tantum præcipua ex iis in præsentem proferre, contenti sumus. *Argumentum I.* desumimus ex *Nexu rerum* in *Historia Evang. concinnatarum*, earumque significatione *mystica* artissime sibi coherente, & sponte sua fluente; Vide supra Partis Primæ §. II. -- VII. Etenim *Tenebrae factæ erant super terram*

(h) Prior in Opere Apocalypico, & de Fœdere; Posterior in Opere Apocalypico, in locum Apoc. XX. 4. s. 6.



terram Judæorum, quò indicatum fuit, ob atrox eorum crimen, contra Solem justitiæ perpetratum, atram Calamitatis variorumque judiciorum divinorum noctem ipsis incubituram. *Scissum est velum Templi*, quo significabatur, abolendam esse Oeconomiam Mosaicam, quâ Judæi ingratiſſimi ab omnibus Gentibus hæctenus discriminabantur. Nam *Carne Christi in Cruce disruptâ, parata est via omnibus etiam Gentibus ad Sacrarium Cœlestæ* Hebr. X. 19. 20. *Terra mota est*, quod denotabat, prædicatione Crucis Christi terram omnium Gentium esse commovendam, & in Regnum Dei commutandam. Hebr. XII. 26.--28. *Petra fissa sunt*: Ecquid aliud hoc præfigurabat, quam corda Gentium petris simillima esse aperienda, verbo Evangelii flectenda, & ad fidem Christi convertenda? Luc. III. 8. Argumentum II. elicimus ex verbis Christi Domini, Joh. V. 25. *Adventat hora & nunc est, quum mortui audient vocem Filii Dei, & qui audierint vivent*; quæ verba de conversione Gentium Christi ascensionem proxime sequente intelligenda esse, vel ex eo liquet, quod illa *Paralytico ad Bethesdam* sanato, subnectantur; qui *Gentium*, per longam annorum seriem morbo lethali ægrotantium, *Typum* gessisse, communiter perhibetur: quas Christus speciali sua opitulatione ac suppeditio *Regenerationis lavacro* purificavit, & è Statu misero ad Statum felicem transtulit. Quare, dum opus Christi circa sanationem *Paralyti* patratum invidiose criminarentur Judæi, ecce tandem post cætera Servator dicit: *Amen, amen dico vobis, venit hora & nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei, & qui audierint vivent*. q. d. instat tempus, cujus initium jam actu præſens est, quo Gentiles prædicationem Evangelii mei audientes, ex morte *spirituali* reviviscent. Argumentum verò III. suppeditat nobis *Semen spirituale*, Christo *Mediatori* à Patre, obedientiam Filii stipulante, promissum: Quod *Semen, obedientiâ usque ad mortem Crucis præstitâ*, Phil. II. 8. illico obtinendum erat. Verum cum hoc *Semen promissum duplex* esset, *primum* quidem ex iis desumendum, qui fecundum

cundum Carnem nati, Gal. IV. 23. -- 25. certo tempore sub Circumfione & jugo legis erant, quale erat Semen ex Judæis: alterum verò, quod ex sola Abrahami fide erat, ut Semen ex Gentibus, Rom. IV. 16. & IX. 24. de quo, quasi ex lapidibus excitando, loquebatur Johannes Bapt. Luc. III. 8. Semine autē illo priori, ex Judæis defumendo, degenerante, Judæisq; Regem suum, Filium Dei, Legatos ad ipsos mittentem, ut Regem agnoscerent, reprobantibus, nolumus hunc regnare super nos, Luc. XIX. 14. utiq; Christo obtinendum statim erat Semen reliquum, nempe Semen ex Gentibus. Quare venit Christus in Regnum suum, Matth. XVI. 28. Rexq; factus super Gentes Psal. XLVII. 9. & XCVI. 10. illis factam quoque esse Promissionem Gratia Salutaris, per Legatos suos palam ostendit, Act. II. 39. adeoque adesse tempus, quo ipforum miseretur, & filios Dei dispersos in unum congregaret. Joh. XI. 52.

VII. Quæ omnia (ut generatim implementum suum accepisse breviter demonstremus,) liquidissime conspici potuerunt, quando prædicatione Evangelii, quod Salutem omni Credenti annunciabat, post Ascensionem Christi, incepta statim fuit Conversio Gentium in Samaria per Philippum, Act. VIII. postea Antiochenis Gentibus per Barnabam illuc missum innotuit Salvator Act. XI. &c. & tanto quidem successu Operis divini, ut, triginta annorum spatio, non tantum longe lateque patens illo tempore Imperium Romanum, Verbum Evangelii peragraverit; sed & ad pleraque omnes alias Gentes transferit, in Captivitatem redigens omnem Cogitationem earum ad obediendum Christo 2. Cor. X. 5. sic, ut pace per sanguinem Crucis ejus facta, Gentiles Deo reconciliati, Col. I. 20. ex mortuis vivos se sistere possent Rom. VI. 13. atque ita tandem factum est, ut Gentiles aliquanto serius, quam Judæi, ad Christum adducti, ocyus in libertatem & gaudia Domini intrarent, & serius venientes in vineam Domini, facti fuerint inter Vocatos primi. Matth. XX. 16.

VIII. Ut verò rem hanc strictius atque accuratius prosequamur, & analogica quadam demonstratione cum aliquo fructu



fructu enucleare possimus, tria potissimum circa *Resurrectionem Gentium Spiritualem* à nobis diligenter expendenda esse, existimavimus: Quorum *Primum* exponit *Statum ipsum*, in quo *Gentes* ante *Conversionem* constitutæ erant: *Secundum* præscribit *Modum*, quo ex illo *Statu* educatæ liberatæque fuerunt: *Tertium* nobis sistet *Statum Consequentem*, ad quem tandem translata sunt. Ante verò, quàm hæc singula *specialius* & *pressius* pertractarem, visum fuit faciendum, ut ex unico saltem *Scripturæ S.* loco eruamus, ac compendiose demonstremus, quæ confirmandæ *Hypothesi* nostræ interserviunt. *Apostolus Paulus* ad *Ephesios* aliosque *Gentiles* ad fidem *Christi* conversos, *Eph. II. 1. 2. -- 5. 6.* ita scribit: *Vos existentes mortuos in delictis & peccatis, in quibus aliquando ambulavistis secundum Principem potestatis aëris, Deus unà vivificavit cum Christo, unà resuscitavit, & unà considerare fecit in supercaelestibus.* Ubi docetur (1.) *Status Gentilium*, nempe *Mors spiritualis*, in qua fuerant ante *Conversionem*, cum dicit: *illos fuisse mortuos in delictis & peccatis*, ex qua morte propriis viribus resurgere non poterant, impotentes enim ad hoc erant, *ambulantes secundum Principem, cui est potestas aëris*, sive mancipati *Satanæ sub potestatem tenebrarum*, *Col. I. 13.* cujus operâ inefcati & occæcati, placita ejus faciebant. (2.) Describitur *modus liberationis ex isto Statu*, his verbis: *Sed Deus vos unà vivificavit cum Christo, & unà resuscitavit*, ubi *vivificatio* mysticam animæ cum Corpore unionem spirituales, *resuscitatio* verò *Corporis* erectionem in suo robore, ejusque qualitates bonas, ad pignus futuræ *resurrectionis* obsignandam ordinatas, indicat. Cujus operis *medium esse Christi* *Apostolus* innuit, ubi dicit: *Illam factam fuisse in Christo*, seu, ut ad *Col. II. 12.* habet, *per fidem efficacia Dei*, qui excitavit *Eum* è mortuis, quam *efficaciam* ad *Phil. III. 10.* vocat *potenciam resurrectionis ipsius*, nempe *Christi*. Tandem (3.) *Statum eorum consequentem* ita exponit: *& considerare fecit vos in supercaelestibus*, quibus verbis innuitur *Communio illa hereditatis in Sanctis*, cujus participes & confortes facti fuerant cum

E

*Spiritu-*

*Spiritus iustorum consummatorum* in Cælis, hæreditantes quædantenus in *Ecclesia N. T. bona Testamenti gratiæ*; quæ tamen *hæreditas* in emphasi obtinenda fuit, quando actu quoque; cæperunt habere *πολίτευμα ἐν Ἐρανοῖς, Civitatem in Cælis*. Phil. III. 20.

IX. Sed missis jam generalioribus, *Analogica* quoque *demonstrationi* pressius, & sollicitius inhærere statuentes, aggredimur I. STATUM GENTIUM ante *Conversionem*, ceu *Statum mortis Spirituales*, ejusque primam *Cognitionem* petimus è *Cognitione mortis Corporalis* seu *animalis*, unde non minima lux huic argumento affundi potest. *Mors* verò in genere definitur, quod sit *privatio vitæ*, quæ, si ad certum *Subjectum*, nempe *Hominem*, referatur, consistit in *privazione vitæ animalis*: quæ *vita* à regulari & naturali motu partium nostri Corporis fluidarum & solidarum, intimo quodam ac divinitus constituto *principio vitali* agitatarum, sustentatur, ut Corpus humanum aptum reddatur ad *functiones animales* peragendas: quò motu *totaliter* sublatò, sequatur mors necesse est. Et ita sane *Mors Spirituales* est *privatio vitæ spiritualis*, in *Statu actuositatis animæ rationalis* consistentis, ubi homo ex principio verò, secundum *debitam divinæ Legis normam*, ad Dei gloriam, Proximi commodum & suam *Salutem actuosus* est. Convenit autem utraque in eo, quod sit *privatio vitæ* seu *actuositatis*; differt nihilo tamen minus utraque in hoc, quod *illius actuositas* sit *Physica*, sed *hujus Moralis*, tam respectu *Principii*, quam verò *Normæ & Finis*. Et quidem (α) *Principium vitæ spiritualis est amor Dei in genere*, in intensissimo Deum glorificandi studio, cum summo communionis ejus desiderio conjuncto, consistens; in *specie vera fides* Hebr. XI. 6. quæ supponit veram Dei *Cognitionem*, ejus amorem, & desiderium communionis cum Christo, Joh. XXI. 15. (β) *Norma actuositatis in genere est Lex Dei*, at in *specie Lex Evangelii*, quæ Christus omnes ad se ire volentes obligat, Joh. XIV. 27. Porro (γ) *Actuositas ratione Finis*, posita est in glorificatione

ficatione Dei in Christo. Col. III. 17. In quo autem talis actuositas non fructificat, ille merito censetur esse *in morte spirituali*.

X. Quæ omnia si applicabimus ad *Gentilismum*, ex quo magna facta fuit ad fidem Christi conversio, aperte patefcet, illum antea in morte spirituali hæfisse. Erant quippe *Gentiles* (α) Vitæ Spiritualis *Principio* destituti, & ex principio cupiditatis carnis summo in Deum ferebantur odio Rom. I. 30. veri Dei ignari, unde *Athei* dicti: Eph. II. 12. *Colentes eos, qui natura non sunt Dii*, Rom. I. 23. (β) quoad *Normam* Vitæ Spiritualis, carebant ratione recte vivendi, instar brutorum, *alienati enim à vita Dei* Eph. IV. 18. nullam habuerunt *actuositatem* bonæ voluntatis & Legi Divinæ conformis, *dedentes sese certatim lascivia, ad patranda[m] omnem impuritatem*, vers. 19. & Rom. I. quibus cum accessit, ex justo Dei iudicio, obduratio Cordium in omni peccatorum genere, sic, ut omnem boni rectique sensum, & Conscientiam honesti propudiose abjicerent, extincta tandem in eorum conscientia fuit omnis lux, sicque *mors spiritualis* summum in iis consecuta est gradum. Sicut enim mortui motu & omni simul sensu prorsus carent; ita illi in eum tandem prolapsi sunt statum, ut nullo amplius peccatorum affecti fuerint sensu, habentes conscientias cauterio quasi exustas. Itaque (γ) Finis actuositatis eorum nil nisi exitium æternum erat. Unde liquet, universum, quæ late patebat, *Gentilismum* in summa emphasi ipsissimum *mortis spiritualis* repræsentavisse *monumentum*; ex quo statu dum via ad egressum aperta fuit, recte monumenta dici possunt *aperta* fuisse.

XI. Quod verò II. MODUM Liberationis ex illo mortis statu spectat, illius *tres* quasi *actus* considerabamus in Literali Textus nostri expositione, quorum *primus* versabatur circa *Subiectum Loci*, seu apertionem monumentorum: qui actus quid significationis hic loci obtinere possit, pronum est colligere. Monumenta enim sensu *proprio* ape-

riri dicebantur, quando ruptis amotisq; obstaculis, quæ exitum ex iis impediabant, via tandem ad egressum parata fuit. Quod ipsum si referamus ad *Gentilismum*, illico patebit, eundem quoque ingentia habuisse obstacula, quibus sublatis, via ad egressum *spiritualiter mortuis* referenda erat. Tale Obstaculum fuit (α) Perversa de Deo notitia, ut enim Gentiles rudimenta & reliquias Imaginis Dei, rerumque Moralium haberent, quæ Legem, conscientiæ eorum inscriptam, consciebant, quibus rite excitatis, ad meliorem sortem evehi poterant; verum tamen est, quod, propter mentem obtenebratam, pravamque corporis ab infantia connatam dispositionem, & contrariam naturæ consuetudinem, tantum vitii Intellectus contraxerit, ut conceptum de Deo Virtutibusq; Moralibus haberint tenebrosissimum & confusissimum; hinc ipsum quoque Judicium fuit malum, voluntas prava & vitiosa, quæ in Scriptura S. venit nomine *conscientia mala* Jac. I. 14. 15. post quæ omnia necessario sequi debebant *aversio à bono, & contra amor mali*, Mich. III. 2, *desiderium vanum* Soph. II. 1. nec non *Odium Dei & Proximi*? Tale obstaculum fuit, (ceteris omnibus missis) *Atheismus*; omnibus enim horrendorum peccatorum speciebus sese inquinantes, vivebant quasi non esset Deus, *γνώσκοντες θεόν* & Cordibus eradicantes, *superbi facti* erant Rom. I. 19.--22. Hæc & similia erant ingens ille lapis, qui à *Gentilismo* naturæ viribus amoveri nequaquam poterat, prout Mulieres conquerebantur Marc. XVI. 3. Quare necesse erat, ut Deus Angelos suos, Ministros Evangelii & Apostolos mitteret, qui hunc lapidem Verbo Dei, cum Spiritu potente conjuncto, ab ostio avolverent, viamque ad suos inde educendos aperirent.

XII. *Secundus actus*, qui circa *Subjectum Personarum* verfabatur, *consistebat* in ipsa *excitatione mortuorum*: quem si transulerimus ad *Conversionem Gentilium*, è statu mortis spiritualis, ad vitam Deo dignam evocatorum, non incommode primum hujus actus *principium* inde arcessemus  
ac re-

ac repetemus, ubi mors eorum spiritualis, summum fastigium nacta, subsistebat: Quod fastigium in his terminis paulo superius prolatis notabamus, quod Gentes peccato deditissimæ nullo amplius peccatorum suorum affectæ fuerint sensu ac notitia. Unde in ipso Conversionis limine opus habebant *notitiâ sui ipsius*: ad quam requirebatur (1.) *illuminatio Intellectus* ad statum illum miserum, in quo jacebant, cognoscendum, ut, quemadmodum prima lux in Creatione ostendebat, sub quanta confusione Mundus antea sepultus jacuerat; ita prima mentis earum illuminatio atrocissimam peccatorum fœditatem ipsis demonstraret. Ne verò vel sic cæci redderentur, ut Paulus ad primam irradiationem cœlestem, Act. IX. 3. redditum fuit (2.) *Judicium iis rectum*, ut agnoscerent se esse miserrimos, atque æternæ mortis & condemnationis reos. Hinc fluxit (3.) *Voluntatis fixa determinatio contra peccatum*, tanquam hostem infensissimum summo horrore evitandum, juxta Psal. XCVII. 10. hinc tristitia ex peccatorum ante actorem consideratione orta, pudor, & contemptus sui. Sequutum tandem fuit (4.) *Sincerum ex illo Statu eluctandi studium*; Ubi statim recurrerunt ad unicum illud medium, nempe Salvatorem, qui ipsis prædicabatur, rejectoq; peccatorum dominio, eum solum amplexi sunt: Quare, mutatis statim pravis suis facultatibus Moralibus, aliud *Principium*, aliam *Normam*, aliumque *Finem* sequuti sunt, adeo quidem, ut ad Deum conversi, *vixerint jam non amplius illi ipsi, sed Christus in eis*, Gal. II. 20. Sicque Principium novæ vitæ spiritualis ætuoſum sese in illis manifestaverit, effectumque hunc ediderit, ut, qui antea erant stulti, facti sint sapientes, qui fuerunt carnales, jam sint spirituales, qui mortui, jam *vivi*, Eph. V. 14, 15. versenturque in communionem Dei. Ex his jam ultro fuit Actus Tertius, qui *egressione ex monumentis* supra indigitatus erat.

XIII. Hæc autem Opera Miraculosa solâ Dei Omnipotentia fuisse producta, nemo, nisi temerarius, negabit

bit. Certe ab omni seculo nunquam auditum fuisse, ut aliquis aperuisset oculos cæci nati, confitebatur cæcus ille a Christo sanatus, Joh. IX. 32. at vero quanto nobiliori gradu antecellit spiritus corpus, tanto majori excellentia opus in spiritali cæcitate sanata patratum supra opus circa naturalem cæcitatem sanatam peractum, ut emineat necesse est. Ecquis ergo non miretur & adoret Opus divinum in convertendis Gentibus manifestatum? Ecquis ad Creationis rei novæ seriam considerationem non obstupefcat? Cum Opus conversionis ipsissima sit nova Hominis creatio, ubi omnes spirituales animæ facultates mortuæ jacebant, ita, ut ad bonum aliquod spirituale peragendum nequidem movere se valuerunt. Ipsi Gentiles erant revera spiritaliter cæci, Rom. I. 21. sed per Potentiam Dei, verbo Evangelii cooperantem, acceperunt illuminatos oculos intellectus Eph. I. 18. Erant surdi secundum Esa. XXIX. 18. sed acceperunt aures attentionis ad audiendum, & dixerunt rerum spiritalium, erant muti, sed præditi sunt facultate recte disserendi, manum non habentes acceperunt facultatem recte operandi ad gloriam Dei, & pedes ad rite ambulandum in viis Dei, Eph. II. 3, 10. Sic itaque extiterunt novum quasi Systema Hominis spiritalis, ac tandem e monumentis egressi sunt.

XIV. Superest tandem III. STATUS CONSEQUENS in quem Gentiles, ad fidem in Christum conversi, translati fuerunt. Docent Sacræ Literæ, Deum post vocationem Abrahami e medio Gentium, post Promissionem eidem, & semini ejus factam, statuto tempore ex omnibus Populis solos Israelitas expetivisse Deut. VIII. 8. X. 15. & Angelum faciei Jehovæ, imponendo eos sibi, in deserto bajulavisse, Esa. LXIII. 9. inque terram Canaan, majoribus eorum promissam, hereditario jure possidendam introduxisse, Jos. XXIV. 8. Politiam in medio eorum extruxisse, Civitatemque illis dedisse, ubi in umbram, sive typum melioris ac longe excellentioris Civitatis per Christum fundandæ, nomen suum



suum collocaverat: quo tempore alix Gentes essent *extra Civitatem Dei, in Carne, sine Christo*, in statu natura relicta, adeoque à veris bonis, Izraeli concessis, longe remota, Eph. II. 11. 12. Quod ipsum tamen non ita debet accipi, quasi vero nullatenus illis accedere licuerit ad Civitatem illam Sanctam, sed quod Deo placuerit, *ne ad aliquot generationes in cœtum Izraelis venire possent*, Deut. XXIII. 8. & per media quædam, uti erant Lex Cerimonialis ejusque observatio, Judæi à Gentibus dividerentur, Deut. IV. 6. Gal. II. 14. ita quidem, ut videretur Gentium salus toto illo divisionis tempore ab Izraelis fide suspensa fuisse, prout etiam factum fuit, ut, cum Izrael infidelis evaderet, Gentes assumerentur: hinc dicit Apostolus: *diminutionem Izraelis divitias esse Gentium*, Rom. XI. 12. At verò Christo Mediatore adveniente, *inimicitias ac vitibus illis per Carnem suam abolitis, utrosque conciliavit Deo per Crucem*. Eph. II. 15. 16. *& ex duobus condidit unum novum hominem.*

XV. Itaque alia *πολίτεια*, seu Civitas, eaque *Spiritualis*, legibus spiritualibus stabilita, erat extruenda, vetus enim illa umbratilis tantum erat. Quæ dum noviter fundata atque magnifice exornata esset, novis ac multo splendidioribus elogiis à veterè illa discernenda erat. Unde jam *hec Secunda* dicitur *nova* ab illa distincta, quæ, ob Cerimonias legales veritati quæ hodie præsens est, unice infervientes, *antiquata est & evanuit*, Hebr. VIII. 13. *illa fuit serva, hæc vero debuit fieri libera* Gal. IV. 26. *illa sanguine Prophetarum, Christi, & Apostolorum polluta erat & prophanata; sed hæc Sancta*. Psal. XLVIII. 1. quippe quæ sanguinis Christi merito & gratia Cœlesti purificata ac sanctificata est, & vera demum Hierosolyma audit, in qua Sancti actu vident pacem cum Deo factam, & Conscientiæ tranquillitatem.

XVI. In quam Civitatem, splendidissimo ornatu vestitam, juxta Apoc. XXI. 3. quando Gentes è morte illa, quam superius descripsimus, spirituali excitata, per veram ad Christi-

Christum Conversionem ingressæ sunt, tum tandem ἐπι-  
 φανίσθησαν πολλοῖς ad conspiciendum se præbuerunt multis, & sic,  
 non amplius hospites advenæ, sed Concives factæ Sanctorum, & do-  
 mestici Dei, Eph. II. 19.

### Porismata Secundæ Partis.

- I. Ad resurrectionem è morte spiritali non minor requiritur Poten-  
 tia Dei, quam ad resurrectionem è morte Corporis. 2. Cor. IV.  
 6. §. XIII.
- II. Spiritualis Fidelium resurrectio è solo Christi merito & resurre-  
 ctione fluit. Col. I. 18.
- III. Christus, ad expianda fidelium peccata, ex Consilio Patris, se-  
 cundum eternam sponsonem, víctima piacularis factus, sangui-  
 ne suo illis quoque in Sacrarium Cæleste ingrediendi nactus est  
 libertatem, Hebr. X. 19. Utpote quos Pater in hereditatem  
 Testamento illi disposuerat Joh. VI. 37.-- 39.
- IV. Cui etiam Christo jure merito, post Judæos rejectos, in Peculum  
 cessi: Hereditas ex Gentibus, ad fruitionem Bonorum Testamen-  
 ti Gratia in Ecclesiam suam adoptanda. §. VI.

### Ad Partem Secundam Appendix I.

Nequaquam B. L. in hanc Contemplationem my-  
 stificam unice pertrahere volumus, sed potius viam quo-  
 que, aliam Typo nostro illustrando aptam, commonstran-  
 tes, digitum etiam intendimus ad *Symbolicam illam resur-*  
*rectionem Sanctorum Martyrum* Apoc. XX. 4, 5. qui, ab  
 adultera Ecclesia damnati, & pie in Domino, cum San-  
 cto Stephano Protomartyre, Act. VII. 60. obdormientes,  
 post coercionem Anti-Christi, in cælesti illa Civitate,  
 quæ *Hierosolyma nova* dicitur Apoc. XXI. 3. in statu felic.  
 Regni Christi glorioso in his terris, sub Millenario Apo-  
 calyptico, ( de cujus indole nobis necdum certi quid-  
 quam constat ) regnaturi, cum Doctrinæ eorum veræ  
 ab Adversariorum, horrenda calumnia vindicatæ, &  
 splendi-

splendorum in Ecclesiam Dei meritorum celebratione, juxta Prophetiam Apocalypticam, erunt resuscitandi.

*Appendix II.*

Cum Judæorum, justo Dei judicio ob rejectionem Messæ occæcatorum, & in profundissimum miseriarum barathrum demersorum, *conversio* sub Typo resurrectionis exprimatur Ezech. XXXVII. 1. & sequent. *eorumque assumptio vita ex mortuis* appelletur, Rom. XI. 15. quando tamen tandem in eandem *Hierosolymam novam* introducuntur; non ita temere quæri posset: *An non funesta illa Judiciorum Dei nox*, quæ sub tribus distinctis temporum intervallis, nimirum à rejectione eorum usque ad tempora *Constantini M. a Constantino M. usque ad Reformationem*, & a *Reformatione ad ultimam usque eorum Conversionem*, gravissime ipsis incumbibat, *Triborariis tenebris*, Christo in Cruce pendente Terræ Judaicæ immisfis, adumbrata fuerit?

DISSERTATIONIS THEOLOGICÆ

PARS TERTIA,

De Operis Dei Miraculosi in  
SANCTIS REDIVIVIS  
demonstrati certissimo implemento,  
in Regno Gloriæ.

**V**ilis Dei imperscrutabilibus, atque summæ Christi Domini Sapientiæ congruum esse, ut uno eodemque opere plures intendat fines, omnes, qui sublimioribus Veritatibus, ex Verbo Dei eruendis, operam dant, ex æquo nobiscum fatentur. Quare minime etiam diffiteri possunt, in hoc eodem casu, qui, quoad SANCTOS REDIVIVOS, omnibus ad vitam beatam electis cum Evangelio Regni Dei sese manifestabat, peculiare  
F & in-

& infallibile Argumentum exhibitum fuisse Resurrectionis ultimi illius Diei, quò *multi ex dormientibus in pulverulentâ terra expergiscuntur ad vitam aeternam.* Dan. XII. 2. Meriti enim Christi efficacia, quod Deo Patri, pro Semine sibi dando, obtulit, juxta Esa. LIII. 10. & resurrectionis illius Potentia, quâ se filium Dei potenter demonstravit, Rom. I. 4. id ipsum exigebat. Nec ulla videretur ratio, cur illi resuscitati fuissent, si illius temporis fideles ex Judæis, inter quos de futura resurrectione oppido multi nimium quantum erant dubii, & male de ea sentientes (quod docet passim Historia Evang. & Thalmud Judæorum) alique, de spe beatæ resurrectionis hoc ipso Miraculo informati, & confirmati non fuissent, se minirum post hanc vitam in carne cum Jobo Deum visuros, & Christo capiti similes futuros esse? Numquid enim magna exurgeret Consolatio Fidelibus ex resurrectione è morte Spirituali, ad vitam Spiritualem, si de Corporum suorum resurrectione certi non redderentur? At verò cum hæ duo arctissime inter se conjuncta sint, neque in negotio redemptionis à se invicem divellantur, Rom. VIII. 32. 1. Cor. VI. 20. hinc, ex vivificatione mentis per Christum ad vitam spiritualem, certissima etiam exurgit expectatio vivificandæ olim carnis. Joh. V. 25.---. 28. 29.

Quæ resurrectio cum futura sit post ultimum & summum Exaltationis Christi gradum, nempe Reditum ad postremum Judicium, *in Cleusmate, cum voce Archangeli, & cum tuba Dei.* 1. Theff. IV. 16 cum introductione Sanctorum in *Civitatem illam permanentem, quam expectamus* Hebr. XIII. 14. tunc tandem consequemur summum illud Implementum, quod post primum Exaltationis Christi gradum, nempe Resurrectionem, in SANCTIS REDIVIS demonstratum erat. Quem statum speramus, cum Apostolo 1. Cor. XV. 58. *Contententes stare immoti, cum sciamus laborem nostrum non esse inanem in Domino.*

A. M. E. N.

**E**nthea cui mens est, Is semper ad enthea tendit:  
 Discimus exemplo quod, BAGAMERE, Tuo.  
 Dum SANCTOS, Christi virtute, ex morte reverbos  
 Esse docēs, nunquam laus moritura Tua est.

*Amoris ergo Doctissimo hujus Dissertationis  
 Domino Auctori ita adplauderebat*

Præses.



**D**upliciter peccant magnorum *Scripta Virorum,*  
 Evehit hic, sensum deserit ille Dei.  
 Tangis eos, tamen ingenuè, tua sensa repandens  
 Atque premis mediam quâ licet ire viam.  
 Differis hinc solidè, narrans Magnalia, Christus  
 Tempore quæ mortis conspicienda dedit.  
**S**ignantur, *Dextram Domini in SANCTIS REDIVIVIS*  
*Erectam,* Genti qui apparuere suæ.  
*Cortice detesto,* mox *mystica sensa* recludis  
 Textus *vinæ,* sequens optima verba Dei.  
 His ita præmissis, tandem *Porismata* nectis,  
 Perbene sicque tuo fungeris officio.  
 Anne igitur labor hicce tuus caret Omnipotentis  
 Consilio? potius rexit opemque tulit.  
 Donasti vitâ *Scripto* SANCTOS REDIVIVOS  
 Mox Hominum *Verbis* excita corda *tuis.*  
 Appositè monstras ex morte reversio quod fit,  
 Opere (quod tractas) significata novo.  
 Curia Cælorum *tua Membra* resurgere faxit,  
 Præmia Sanctorum det simul illa *Tibi.*  
 Euge! etiam demum nervos & acumina mentis  
 Explica, Depositum & pandere perge Poli.  
 Gloria mortalis nulla est, sed Gloria summa est:  
 Esse Gregis Domini, Vivere itemque Deo.

Hoc

Hoc, est Sanctorum Virtus Mediumque Salutis  
Optatus cujus Gloria Finis erit.

*In honorem ornatissimi ac Doctissimi Domini  
Auctoris & Respondentis, Compatriotæ, Pe-  
reginationis Academicæ, Socii, ut & Amici  
sui dilecti, sincero Corde apposuit.*

Petrus K. Vafarhelyi. Opp.

**E**dis præclarum specimen, Doctissime Amice!  
Ingenii; capias præmia digna, precor.


*Honoris atq; amicitie ergo Doctissimo Domino  
Samueli Bagamere, Fautori ac amico esti-  
matissimo, Commensali charissimo, apposuit*

Opp. Michael Contess  
Lithv. Polonus S.S. Thol. Stud.

**M**ente TUA, BAGAMERE, DEI miracula volvis,  
Digna pio studio, digna cuique legi.  
Hæcque gravi conscripta stylo scrutanda peritis  
Dum das; ingenii hoc nos celebramus opus.  
Cernis, ut egregie labor improbus omnia solvat,  
Cernis, ut ingenuas proferat artis opes.  
Quare agedum! ceptis insta; pete justa labori  
Præmia, quæ meritos ampla manere solent.  
Fallor? at ipsa TIBI prædicere sancta videtur  
Religio: fœlix TU mihi Pastor eris.

*Hæc, ut prolixum in Nobiliss. & Doctiss.  
hujus Dissertationis Autorem, affectum  
testaretur gratulabundus apposuit*

Gottlieb Wilhelm Boehm.  
Wrat. Sil. Jur. Studiosus.



ad 14.

01 A 6501

ULB Halle  
002 927 330


3



sh

12







DISSERTATIO THEOLOGICA;  
DE  
Opere Dei Miraculoso, Gratio-  
so & Glorioso

IN  
SANCTIS REDIVIVIS

demonstrato,

*ad locum Matth. XXVII. 52, 53.*

QUAM

Propitio Deo O. M.

SUB PRÆSIDIO

*Viri Summe Reverendi atque Doctissimi,*

**D. DIETER. SIEG. CLAESSENI,**

S. S. Theol. Doct. Ejusdemq; Facultatis in Regia  
Academia Viadrina Prof. Publ. Ord. Ecclesiæq; Ref.

Pastoris disertissimi,

IN AUDITORIO MAJORI

A. MDCC XXVI. d. XVI. April. placido Examini submittet

AUCTOR & Defendens

SAMUEL BAGAMERI, Medio-montano Hungarus,



Frankfurti ad Viadrum, Literis TOBIÆ SCHWARTZII.